Classics

SYMBOLA AD SOCRATIS ET SOCRATICORVM EPISTVLAS EXPLICANDAS

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE VNIVERSITATIS LITTERARVM GRYPHISWALDENSIS RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

OTTO SCHERING

LVBECENSIS.



GRYPHIAE

TYPIS HANS ADLER

MCMXVII

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum dissertationem typis expressam esse testatur

Hermannus Schwarz

ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda dissertatione rettulit

Hermannus Schoene, professor p. o.

Examen rigorosum habitum est die XV mensis Quintilis a. MCMXIV.

Parentibus carissimis

Praefatio.

Epistulae Socratis et Socraticorum paucis tantum editionibus evulgatae sunt. Nam editionem Leonis Allatii, qui primus epistulas antea non editas graece edidit et interpretatus est in libro, qui inscribitur „Socratis, Antisthenis et aliorum Socraticorum epistolae, Parisiis 1637“, magno spatio interiecto secuta est editio Joannis Conradi Orelli anno 1815, quae titulum prae se fert „Socratis et Socraticorum, Pythagorae et Pythagoreorum quae feruntur epistolae“, cuique non modo versionem latinam atque permultas adnotationes doctissimas, sed etiam virorum clarissimorum Allatii, Stanlei, Olearii, Hemsterhusii, Wyttenbachii, Bentlei, Bremii, Valckenarii aliorumque animadversiones, dissertationes, de epistulis Socratis et Socraticorum iudicia adfixit, ut etiam hodie opus haudquaquam neglegendum magni pretii sit. Jam Orellius omnes quae exstabant epistulas graecas colligere in animo habebat, sed nihil nisi primum tomum, in quo illae epistulae leguntur, in lucem prodidit; atque cum Antonius Westermannus in commentationibus de epistularum scriptoribus graecis (Lips. 1851—55) de argumentis tantummodo referens non enumeraret nisi eos, quibus a quibusque epistulae mitterentur, omnium epistularum collectionem praeter eas, quae papyris traditae sunt, debemus hodie unam et solam Rudolpho Hercher, qui libro suo, qui inscriptus est „Epistolographi graeci, Parisiis a. 1873,“ adnotationem criticam praemisit. Socratis et Socraticorum epistulas invenies huius editionis pgg. 609 sqq.

Quarum in epistularum studio[1]) versatos esse multos viros doctos vel inde apparet, quod de adnotationibus Conradi Orelli libro adiectis commemoravi. Recentioribus temporibus cum epistularum studio multi quoque se dederint, haec epistularum collectio Conradi Orelli libro sane obsoleto graviore observatione digna adhuc non visa erat[2]). Jam diutius de epistulis Socratis et Socraticorum, quantum valerent quaeque ex eis nobis discenda essent, inquirenti nuperrime mihi in manus incidit dissertatio Guilelmi Obens: „Qua aetate Socratis et Socraticorum quae dicuntur epistulae scriptae sint, Monast. 1912." Sed vero Obens ad unam imprimis quaestionem studium suum convertit, qua aetate conscriptae essent illae epistulae. Quam rem diligenter perscrutatus maxima dissertationis parte quo tempore epistulae fingi potuerint, explicat, sed cum initio adduxerit nonnulla, quae reperiantur in epistulis singulis simulque varias res, quae ad historiam pertinent, posteriore aetate narratas esse ostenderit, multa tamen sunt quae restent ad epistulas accuratius inquirendas atque pluris aestimandas[3]). Altera superest causa epistulas amplius excutiendi: epistulas enim 35 et 36 Obens non interpretatus est dicendi ratione excepta; de quibus postrema huius dissertationis parte accuratius exquirere mihi liceat, quod in illis maximae nobis offeruntur difficultates atque magna continetur copia rerum cognitu dignarum. Praecipue mihi propositum erit de epistularum sententiis quaeque ex eis cognoscere possumus, disputare.

1) Epistulas plurimas non veras, sed ficticias esse primo Bentleius demonstravit in dissertatione celeberrima de epistulis Phalaridis, Themistoclis, Socratis . . . ., deutsch v. W. Ribbeck, Lips. 1857.

2) Paulus Lang „De Speusippi Academici scriptis, Bonnae 1911", se omnes Speusippi epistulas editurum esse pollicitus est (p. 39).

3) Commemorandum esse videtur Obensium omnino non mentionem fecisse illius Conradi Orelli libri, in quo non modo permulta, quae attulit ille in dissertatione sua, iam tractata sunt, sed quod fundamentum quoddam cuiusque de his epistulis operis est. Ceterum Obens multifariam erravit, multa omisit, quae suo loco corrigere cogor.

Praeterea digerere conabor, epistolographi quae sibi proposuerint viri epistulas has componentes quibusque usi sint fontibus. De epistula tricesima longe maxima et gravissima postea disseram.

Pars prior

1. De auctoribus et praescriptionibus.

Collectioni epistularum Socratis et Socraticorum — Allatii editio exhibet tantummodo 35 — tributae sunt in editione Hercheriana 37, quarum septem priores nomen Socratis, ceterae quae quidem inscriptae sunt, Socraticorum ferunt. Ex ea re quod non omnes in eisdem inveniebantur codicibus, diversaeque posterioribus temporibus adnumeratae sunt huic collectioni, de epistularum quae Socrati et Socraticis adiudicandae sint copia certa dici non posse elucet, praesertim cum multo plures quondam quam hodie huiusmodi epistulae exstitisse videantur[1]). Immo vero suspicari possumus varias epistulas quae servatae sunt eisdem codicibus, aut prioribus iam collectas esse temporibus aut eadem aetate complures ab uno auctore conscriptas esse. Attamen difficillimum erit hodie determinare epistulae singulae cui tribuendae sint auctori: fieri potuit, ut quae sequebatur, ab eodem fingeretur, qui antecedentem composuerat; sed item ab eodem auctore utraque epistula excogitata esse potuit. Fortasse facilius discernere possumus in epistulis singulis conspiciendis, ut ep. 1 et 6, ubi utramque epistulam eundem auctorem habuisse verisimilius videtur; sed cum in plerisque, ut epp. 30 et 31, 12 et 13 et 29, eundem auctorem esse vix quisquam putare possit, de nonnullis modo epistulis quaerere utile erit. In codice Gottingensi[2]) epistulae cum notentur simpliciter ἐπιστολαὶ Σωκράτους, nobis optimo iure supplenda

1) Sic etiam de epistulis Pseudoheracliteis iudicavit Jacobus Bernays, Die herakl. Briefe, Berol. 1869, p. 113.

2) vid. pag. 108.

est praescriptio ἐπιστολαὶ Σωκράτους καὶ Σωκρατικῶν; neque vero inutile erit exquirere, quos Socraticorum numero adscribamus[1]): sine dubio Socratis discipulos atque amicos, ut Platonem, Xenophontem, Aeschinem, Aristippum, Antisthenem, Phaedrum, aliosque; sed etiam alii, ut Academici Speusippus et Xenocrates, huic epistularum collectioni — neque ut mihi videtur bono iure — vindicati sunt. Illi autem discipuli, quamquam alii alias vias ingressi sunt — sententiis variis quisque ut Socratis praecepta et doctrinam sequeretur operam navabat — optime sub nomine Socraticorum coniungendi erant.

Inspiciamus nunc breviter epistulas eas, quibus praescriptio deest, ut cui attribuendae sint enucleamus. Epistularum postremarum Speusippum et Xenocratem auctores fictos esse hodie non iam ignotum est[2]). Qua re hoc loco imprimis disserendum erit de epistulis 17, 20, 28. Multo brevissima est vicesima[3]), quae mea sententia missa est Antistheni neque alium quenquam nisi hunc intellegendum esse ut arbitrer adducor, quia verba διότι διατελεῖς παντὸς ἐπάνω πλούτου καὶ δόξης καὶ ἐξ ὧν βιοῖς οἷον ἀπεικόνισμά τι Σωκράτους περίει Ἀθήνησιν optime accomodata sunt eius personae atque ille, cum esset aetate provectus, commorabatur Athenis. Missa est epistula a Socratic oquodam discipulo, qui in Thebanorum urbe adulescentibus communicabat sermones, quos a Socrate audivit. Epistula 28, quae incipit a verbis τὰ γὰρ ἐμά, ὦ Πλάτων, σά φημι εἶναι δίκῃ ἁπάσῃ, ὥσπερ καὶ Σωκράτους ἦν inscripta est Πλάτωνι. Ut dicam, quod conicio, auctor

1) Diogenes Laert. II 47 docet ex eis, qui successerunt Socrati et appellati sunt Socratici, nobilissimos fuisse Platonem, Xenophontem, Antisthenem; ex his vero, qui decem vulgo dicuntur, clarissimos fuisse quattuor, Aeschinem, Phaedonem, Euclidem, Aristippum.

2) vid. h. d. pag. 11.

3) Obens p. 28: „Vicesima praetereunda est, cum neque a quo neque ad quem data sit cognoscere possimus.“ Ceterum iam Orellius (l. c. p. 235) ad Antisthenem hanc epistulam missam esse fingi suspicatus est.

huius epistulae est Phaedrus, qui, ut in epistula antecedenti legimus, a prima iuventute enutritus erat lenimentis Socraticis. Accedit, quod epistula 27 ineunte idem Phaedrus loquitur de Platonis in remotiora loca itineribus. Ergo restituendus est titulus Φαῖδρος Πλάτωνι. — Denique ad epistulam 17 accedamus, quae omnino non inscripta est. Sed ut iam Orellius animadvertit, e verbis epistulae primis apparet eam datam esse ad Hippocratem, qui interfuit Platonis sermoni, qui inscribitur Πρωταγόρας: omnia quae protulit scriptor harum litterarum de animo eius erga Socratem eiusque familiares, in quorum numero ipse erat, ad ea, quae traduntur de hoc viro et sophista, optime quadrant[1]. Extrema verba πάλιν οὖν συνελευσόμεθα Ἀθήναζε οἱ ἀναξίως ἀνασεσοβημένοι ὡς τὸ πρόσθεν unum eorum, qui Athenis Thebas fugerant, intellegendum esse affirmant.

Dissensio est, cui vindicandae sint epistulae 21 et 22, quod libri manuscripti varias praebent lectiones[2]. In editione Allatiana legitur Ξενοφῶν Ξανθίππῃ, in codice Guelferbytano Αἰσχίνης τῇ Ξανθίππῃ Σωκράτους, idem in codice Gottingensi; Parisinus praescriptionem praebet nullam. Epistulam 22 Allatius tribuit Xenophonti, cum codices et Gottingensis et Parisinus nullam offerant inscriptionem. Qua de causa iam Ioannes Luzacius[3], quem secutus est Orellius, hanc quoque epistulam Aeschini Socratico adiudicavit. Hercher in editione sua Leonis Allatii lectiones tenuit, sed nullo ut videtur iure. Epistula 21 enim missa est Megaris ad Xanthippen, quae in Atheniensium urbe versabatur. Scimus autem Xenophontem cum ab expeditione Cyri revertisset, in praedio suo Peloponnesiaco ad Scilluntem habitantem procul Athenis vitam

---

1) Nescio an testimonium reiciendum sit, ex quo videmus Hippocratem post Socratis mortem commoratum esse in insula Chio (*οἴκοι εἶναι*), cum etiam ceteri Socratis discipuli magistro mortuo Athenas reliquissent.

2) conferas quae in appendice afferam.

3) Lectiones Atticae, Lugd. Batav. 1809, p. 47 sq.

degisse; neque memoriae traditum est neque probabile videtur illum Megaris versatum esse, cum Aeschinem, postquam Socrates vita excessit, ne eodem fato afficeretur, in eorum numero fuisse, qui ad Euclidem Megara se contulerant, aliis quoque testimoniis affirmari videatur[1]). Nescio an ineptum sit Aeschinem, cum fuerit pauperrimus[2]), Socratis mulierem adiuvantem induci, sed ex epistulae verbis ipsis elucet philosophum illum minima ex parte beneficia contulisse, sed ceteris amicis, imprimis Euclide et Terpsione, sublevantibus. Atque vero stulte dicta essent verba οὐ γὰρ πόρρω ἐστὶν ἰέναι εἰς Μέγαρα, si Xenophon in Peloponneso morans fingeretur. Ceterum censeo[3]) Aeschinem potius ad Xanthippen scribentem fingi potuisse, quia etiam aliae exstabant fabulae de eorum consuetudine. At Xenophontem[4]), qui in Memorabilibus suis pessimum de Socratis uxore iudicium protulit, talia lenia atque amicissima verba ad eam dedisse quis est qui putet? — Item epistulae 22 auctorem nullum alium nisi Aeschinem fingi mihi persuadetur. Inscripta est Κέβητι καὶ Σιμμίᾳ, quorum consuetudine Aeschinem Megaris, ut etiam Athenis, usum esse testis est Diogenes Laertius[5]), qui eum dialogos suos sodalibus Socraticis recitare solitum esse narrat. Praeter hoc verba quae initio leguntur μὴ πολλὰ ἔχων πολλὰ κεκτῆσθαι δι' ὑμᾶς τοὺς φίλους, οἵτινες ἐπιμελεῖσθε ἡμῶν[6]), ad Xenophontem referri non possunt, ut etiam, quod nuntiat auctor de Pla-

1) cf. Diog. L. II 62. Libanius apol. Socr. c. 175 ed. Förster.

2) Diog. L. II 34. 62. Senec. de benefic. I 8. cf. etiam Guilelm. Croenert, Rhein. Mus. LVII, 1902, p. 286sq: *Βίος Σωκράτους: ὑπὸ πενίας.*

3) cf. Diog. L. II 60.

4) Memorab. II 2. 7. Conviv. II 10.

5) II 62.

6) Verba *ταῦτα οὖν λάβε καὶ ἴσθι Εὐκλείδην καὶ Τερψίωνα πάνυ καλώ τε κἀγαθὼ ἄνδρε καὶ σοί τε καὶ Σωκράτει εὔνω* et cet. perlustrantur epistolographum hos viros commemorantem nil aliud spectasse nisi ut demonstraret eos potissimum Xanthippen adiuvasse; Xenophontem autem, ut erat dives, solum illam miseriis levare potuisse in promptu manifestumque est.

tonis commentariis, in Aeschinem, cum esset modestior[1]), melius quam in Xenophontem convenit.

Deinde de epistularum 30 sqq. praescriptionibus breviter referam, quarum epistulas 32—34, si diligenter perlegimus, facile determinare possumus: duae enim priores ab eodem ad eum datae sunt, qui epistula 34 respondet litteris quae antecedunt[2]). Ex argumentis apparet Speusippum, sororis Platonis filium, scribentem fingi ad Xenocratem illum, qui successit ei in Academica schola regenda[3]); itaque epistulis 32 et 33 praescriptionem dabimus Σπεύσιππος Ξενοκράτει, cum epistula 34 inscribenda sit Ξενοκράτης Σπευσίππῳ. Quod attinet ad epistulam 30, hodie satis constat titulum esse supplendum Σπεύσιππος Φιλίππῳ, quod non modo ex epistulae verbis paragr. 12, quae idem dicunt, quod Athenaei verba (XI 506 E) de epistula Speusippi ad Philippum missa, sed etiam ex multis sententiis elucere videtur, quae spectant ad simultates eas, quas Speusippo cum Isocrate eiusdemque discipulis intercessisse postea videbimus. Epistulam 31, ut Platoni addicam, quibus causis commovear, postea explicabo[4]).

Postquam uberius de praescriptionibus qua ratione supplendae sint, disputavimus, de aetate atque auctoribus epistularum Socratis et Socraticorum paucis verbis absolvamus, ea quae iam Obens longe disseruit de hac re[5]). Mihi quoque persuadetur omnes epistulas esse ficticias; praeterea statuendum est omnes epistulas compositas esse posterioribus temporibus, quod ex dicendi usu patet. Epistula 30, utrum illa qua Obens putat aetate ficta sit necne, ego non discernam.

Posterioris epistularum conscriptarum temporis testis est etiam copia nominum personalium, quae nullis fere

1) cf. Diog. L. II 62: *ἔπειτα ἀφικόμενον* (Aeschinem) *'Αθήναζε, μὴ τολμᾶν σοφιστεύειν, εὐδοκιμούντων τότε τῶν περὶ Πλάτωνα καὶ 'Αρίστιππον.*

2) Rud. Hercher, Hermae t. IV (1870), p. 427 sq.

3) Diog. L. IV 3. Ed. Zeller, Philos. d. Griech. IIa[4], 988, adn. 1.

4) vid. h. d. pag. 79 sq.

5) l. c. p. 14 sq. 79.

testimoniis confirmata vel prioribus temporibus frustra quaerantur; praecipue nomina eorum, quos commendandos inducunt epistolographi, nobis plane ignota sunt — sive corrupta sive ficta — vel posteriore demum aetate reperiuntur. In epistula 3 occurrit nobis ignotus quidam vir, Ἀνήσων aut Μνήσων. Hoc nomen invenitur non modo apud Aristotelem (Rep. V, 4 nomen viri Phocensis), sed etiam C I Gr vol. I p. 296 et p. 167,9. Alius vocatur apud Isaeum VII 5[1]). Μνασώ legitur in Diogenis cynici epistula 9[2]). — In epistula 25 invenimus nomina Κρήνης (vel Κρῖνις, nomen proprium Stoici cuiusdam, qui artem dialecticam scripsit[3])) et Παράμονος, quod servi nomen invenies C I Gr vol. I p. 782 et 1608. Plane quoque ignotus est ille, quem commendat Plato in epistula 26, Athenodorus quidam. Item non apertum est, quibus nominibus praescripta sit epistula 37: ταῦτα ἔστιν ἃ ''Αδραστος παρὰ Κλεινία ἔλαβεν[4]). Restat, ut verba faciam de epistula 29[5]). Meo quidem arbitratu initio non Telei, nominis personalis, mentio fit, sed legendum videtur διὰ τελέους vel τελέα, i. e. germanice „in Eile"[6]). De Aristippi familia hac in epistula sola citantur nomina, de quibus alibi nil comperimus quaeque variis lectionibus traduntur codicibus manuscriptis. In editione Allatiana legitur: θῆλυ δὲ τέκνον εἰ μηκέτι τρέφειν βούλει, διὰ τὸ πολλὰ ἀνιᾶσθαι ἐπὶ παιδοτροφίᾳ, τὸ τῆς Εὐβοΐδος θυγάτριον, ὃ δὴ ἐλευθέρως ἦγες, ἐμοί τε χαρίζεσθαι βουλομένης σε ... τῆς ἐμῆς μητρὸς ὀνόματι: καὶ γὰρ ἐγὼ πολλάκις ἀμίκαν αὐτὸ προσηγόρευσα[7]). Alius legendum proposuit nomen a sermone graeco non abhorrens Μίκαν, quod re vera nomen

---

1) vid. Kirchner, Prosopogr. Attic. s. n. 10390.

2) cf. Guilelm. Capelle, De Cynicorum epistulis, p. 49 adn.

3) Diog. L. VII 62. 68. 71.

4) Quo iure Obens epistulam 37 Speusippo adiudicandam esse indicet, non facile intellegitur.

5) De Antipatro cf. quae infra adnotabimus, pag. 128 sq.

6) cf. Croenert, Kolotes n. Menedemos, p. 86 adn.

7) Quid significet nomen Ἀμίκα, explicat Orellius, l. c., p. 261.

proprium matris Aristippi fuisse videtur[1]. Nuper autem Guilelmus Croenert[2] nomen proprium commutavit e verbis paragr. 1 τοὺς περὶ Σώνικον, ut matris nomen sit *Σωνίκα*[3]; at falso animadvertit[4] hoc uno loco exstare nomen Σώνικος: cum in aliis inscriptionibus tum in inscriptione Berenicensi[5] hoc nomen nobis occurrit.

2. Argumenta.

Atque haec quidem hactenus: contemplemur nunc argumenta, quae sibi proposuerint epistolographi in exercitationibus rhetoricis[6]; qua in re accurate digerentes epistularum auctores imprimis id egisse videmus, ut vitam et mores virorum clarissimorum, non modo philosophorum, sed etiam familiarium, rerum scriptorum, tyrannorum eorumque, qui ad rem publicam administrandam accesserant, pertractarent; atque perscrutantes de Socrate et Socraticis non solum ipsos, sed multos alios amicos et discipulos, mores, doctrinam, scholam ad usum suum converterunt. Nimirum causis quas simul afferam commoti intexerunt varia quae vera esse non possint. Carolus Lehrs[7] secrevit quattuor fontes, quibus orta essent haec spuria verba: fabellam, comoediae iocos, aequales adversariorum laudi obtrectantes, exercitationes sophisticas et rhetoricas, quae inveniuntur in orationibus et epistulis fictis. Hunc in ordinem has quoque epistulas inseremus; hoc

1) Schaefer (Orelli, p. 261). — Exempl. c. *Μίκα* est nomen mulieris apud Aristophanem (Thesmophor. v. 760), cf. Bechtel, Att. Frauennamen, 1902, p. 42.

2) Colotes u. Menedemos, p. 86, adn. 426 d.

3) Croenert igitur legere vult: *τὸ τῆς Εὐβοΐδος θυγάτριον ἤδη ἐλευθερώσας* <*τροφὸν κατέλιπε*> *ἔμοιγε χαρίζεσθαι βουλομένης ἐπὶ τῷ τῆς ἐμῆς μητρὸς ὀνόματι· καὶ γὰρ ἐγὼ πολλάκι Σωνίκαν αὐτὸ προσηγόρευσα.*

4) l. c. p. 96.

5) vid. Wesseling. diatrib. de Jud. arch. p. 6,3.

6) cf. quae adnotabimus de exercitationibus rhetoricis et progymnasmaticis, pag. 32.

7) Populäre Aufsätze, Lips. 1875, p. 385—408. cf. Gercke-Norden, Einl. i. d. Altertumsw. I, p. 407.

autem mihi non neglegendum videtur illos tres fontes, quos priores attulit Lehrsius, in his epistulis iam adhibitos fuisse.

3. De Socrate.

Ex ipsa rei natura sequitur Socratis personam et doctrinam tantum valuisse, ut etiam in epistulis eis, quae Socraticis attribuuntur, studium converteretur in vitam mortemque illius philosophi accurate describendas. Qua in re permulta quae in variis epistulis inveniuntur de vita, familia, amicis, philosophia magistri ex aliis etiam scriptoribus scimus; at vero nonnulla occurrunt, quae alibi frustra quaeras. Plurimae res, quae epistulis narrantur, ad Socratis dies postremos spectant[1]). Adhoc[2]) ex epistula 7 comperimus, quo modo Socrates triginta virorum consiliis restiterit, eademque epistula Leonis Salamini comprehensio eisdem fere verbis describitur atque in libris Platonis (apol. 32 CD) et Xenophontis (Hellen. II 3, 39); sed explicatius quam locis citatis epistolographus has res digessit Chariclem introducens loquentem. Epistula 14, qua Socratis accusatio ipsa tractatur, etiamsi plurima ex Platonis vel aliis scriptis excerpta esse cuique statim occurrit, primis verbis nonnulla dicta sunt, quae omittenda non videantur. Certiores nos facit scriptor harum litterarum de Anyto et Meleto, qui Socratem criminati sunt, sed Lyconis[3]), qui idem philosophum compellaverat, mentio non fit. Ex ea re, quod Polycratis oratio vera esse existimabatur, epistolographum res accurate non cognosse patet; neque vero hodie dubium est, quin haec Polycratis oratio demum a. 393 a. Chr. nat. conscripta esse possit[4]).

1) epp. 14. 15. 16. 17.

2) Paucis verbis auctor epist. 3 demonstrare in animo habuisse videtur Socratem proelio Deliensi (cf. Plat. Symp. 219 E) interfuisse; quo loco Socratem illos iuvenes cognovisse finxit.

3) Plat. apol. 23 E. 36 A. Hermipp. apud Diog. L. II 38; cf. C. Fr. Hermann, De Socratis accusatoribus, Diss. Gott. 1854, p. 13.

4) vid. Lehnert, Bursians Jahresber. 1909, p. 259 sq. (Rhetor. Liter. bis 1906).

Cum de moribus horum accusatorum dissensio magna fuisse non videatur, de sorte, quam acceperit uterque (i. e. Anytus et Meletus) Socrate mortuo, quoque tempore punitus sit, diversae exstant relationes scriptorum veterum[1]): alii utrümque in exsilium isse memoriae produnt, alii unum ex duobus, etiam alii mortem utriusque aut eandem aut disparem fuisse declarant. Epistulae 17 Socraticae auctor haec non diu post Socratis mortem facta esse docet. Verisimile autem mihi videtur neutrum necatum esse, sed aut alterum tantum, Meletum, a populo in exsilium pulsum esse aut utrumque compluribus post Socratis mortem annis interiectis.

Ex his epistulis discimus qua auctoritate Socrates tempore procedente usus sit[2]). Sin autem epistulae 17 auctor Athenienses paenituisse Socratis mortis pronuntiat, intellegendos modo eos puto, qui iam antea Socrati bene faverant atque ad accusatores puniendos incitaverant; sed qua re Athenienses maxime ut id efficerent commovebantur, Lacedaemoniorum opprobria atque inimicitiae erant, quod epistulae 17 auctor recte effert; cum Athenienses, quorum consuetudine usus erat Socrates, dum viveret, quibusque invisus erat haud paucis, multis demum annis interiectis ignoscere possent philosopho, externi qui nihil nisi de fama atque philosophiae eius doctrina et praeceptis audiverant, optime odium concepisse potuerunt erga eos, qui philosophi morti institerant; imprimis autem ei, qui cum Socrate familiaritate coniuncti erant, famam eius divulgabant, ut tandem omnibus iniuste damnatus videretur. Proinde si re vera illi, qui Socrati diem dixerunt, in ius vocati sunt, probabile videtur id multo postea factum neque eos morte, quam effugere potuerunt, damnatos esse.

---

1) Diog. L. II 43. VI 9. cf. Diod. Sic. XIV 37 et Suid. s. v. *Μέλητος*. — Überweg-Praechter, Gesch. d. Philos. I[10] (Altertum). p. 105.

2) Socratem iam vivum ubique ingenti fama usum esse vel inde apparet, quod viri maxime illustres et nobilissimi sophistae — dico Aristippum et Gorgiam; cf. ep. 1. — cum eo collocuti sunt.

Non dubitari potest, quin Socratis familiares — sive hoc factum est Platonis dialogis sive aliorum Socraticorum scriptis[1]) — quam plurimum ad eius laudem attulerint. Quorum ex numero permulti in epistulis Socratis et Socraticorum nobis occurrunt — dico Platonem, Xenophontem, Aeschinem, Critonem, Critobulum, Antisthenem, Apollodorum[2]), Phaedrum, Aristippum, Simonem, Chaerephontem.

De hoc quidem viro atque Socratis non ignoto discipulo[3]) cum ex Xenophontis libris multa comperiamus, epistula 2 praescripta est Σωκράτης Ξενοφῶντι[4]); septimam quoque epistulam eandem praescriptionem habuisse mihi persuadetur, quod Chaerephontem triginta viris Athenis imperantibus fugisse (cf. Plat. apol. 21 A) atque cum Thrasybulo a. 403 redisse nobis traditur. Sin autem Cobetus[5]) dicit eum non attigisse rem publicam, hoc non probandum est, quia Chaerephon in eorum numero commemoratur, qui, cum triginta viri essent, Athenas reliquerant.

Quod attinet ad Socratis mortem, epistulae 14 auctor multa attulit, quae in Platonis Phaedone legimus; enumerans qui adfuerint philosopho morienti, nonnullos tantum nominat; praetermittit Critobulum, Critonem, Epigenem, Menexenum, Simmiam, Cebetem, aliosque, recte autem animadvertit Aristippum, Cleombrotum, Platonem, Xenophontem non adfuisse, qua occasione litteras quae certiores nos facerent de morte

1) Conferas velim varia quae enumerantur scripta multorum Socratis discipulorum in Diogenis Laertii vitis composita.

2) De Apollodoro, qui vocatur ep. 21 ὁ μαλακός — non μανικός, ut legere vult Allatius aliique — cf. Cobet, Prosopogr. Xenophont. p. 63 adn., Hug-Schoene, Platos Sympos. 1909³, p. 8. Lectio μαλακός etiam in Platonis Convivio (173 D) tenenda videtur, cum variis manuscriptis lectio μανικός per errorem in textum recepta sit.

3) vid. Kirchner, Prosopogr. Attic. II 15203.

4) Obens l. c. p. 17 commutans Peloponnesum cum Chersoneso, p. 11 recte scripsit Πελοπόννησον; sed vero hoc mendum necesse videtur emendari, quod Xenophon re vera a. 400/399 commoratus est in Chersoneso.

5) l. c., p. 61 adn.

et postremis diebus magistri, illis supponendi epistolographi usi sunt (epp. 14sqq.).

4. De familia Socratis.

Familiae Socratis tribus locis mentio fit: epp. 3. 21. 29. Is qui epistulam 3 conscripserit, dicit nihil nisi: τῶν δ'ἐμῶν (i. e. Socratis) Ξανθίππῃ μὲν καὶ τὰ παιδάρια ἔρρωται . . .; in epistula 21 Aeschines se Xanthippen adiuturum esse pollicetur. Verba quae leguntur in paragrapho prima: ἡνίκα δ' ἂν οἱ παῖδες ἐθέλοιεν παρ' ἡμᾶς ἰέναι, μὴ κώλυε · οὐ γὰρ πόρρω ἔστιν ἰέναι εἰς Μέγαρα, i. e. Athenis, non Scillunte, ut opinari possit qui Xenophontem auctorem esse persuasum habeat — cf. quae ante (p. 9sq.) diximus — docent Socratis mulierem morari Athenis, cum Euclides et Terpsion Megarenses consulant ei liberisque magistri. — Argumentum huius epistulae contemplantes valde commovemur: Xanthippe, quae vulgo ab omnibus partibus detrahebatur et minuebatur cuiusque fama in obscurum deduci solet, in hac epistola non modo ab amicis Socratis laudatur, sed etiam audimus illam summo et acerbissimo dolore opprimi: τῶν δὲ πολλῶν σοι δακρύων, ὦ 'γαθή, ἅλις; unde apparet auctoribus epistularum non eandem de Xanthippae moribus et consuetudine cum Socrate sententiam fuisse ac hodie. Plerique enim existimant[1]) Xanthippen omnium, quae fuerint unquam aut futurae sint, contentiosissimam ligitiosissimamque excetram fuisse. Quae affirmari videntur duobus locis, quos invenies apud Xenophontem: Conviv. II 10, ubi Antisthenes verba facit de χαλεπωτάτῃ Socratis uxore, et Memorabil. II, 2, 7, ubi legimus: οὐδεὶς ἂν δύναιτο αὐτῆς ἀνασχέσθαι τὴν χαλεπότητα (verba sunt Lamproclis, filii Socratis). Neque vero mirum esse potest Xanthippen, ut erat Socrates singularis et mirabilis vir, qui omnibus rebus magis consulebat quam ut familiae victum et pecunias praeberet, saepe non mitem fuisse; at temporum

1) Cobet, l. c., p. 56sq. Bentley-Ribbeck, p. 553.

decursu incredibiles fingebantur narrationes[1]), quae Socratis eiusque uxoris famam detrectarent. Qua de causa recentioribus temporibus viri docti in Xanthippae fama et honore redintegrando studium collocarunt, quod optime meo quidem arbitrio contigit Eduardo Zeller[2]), qui secutus est Chr. Augustum Heumann (Acta philosophorum I, 1715, p. 103sq.)[3]). Equidem sentio hac epistula demonstrari Socratis amicos re vera eius propinquos pecuniis victuque adiuvasse. Xanthippe quo erga Socratem animo fuerit, utrum tristissima fuerit necne, certo dici non potest. Perspicuum autem videtur eam laude dignam esse, quae Socratem tulerit, eamque post mariti mortem, quanti aestimandus esset, rectius etiam cognosse. Accedit, quod ex Platonis Phaedone (p. 60A) comperimus eam non malam mulierem, sed dolore arreptam valde sollicitam fuisse, ut certo affirmare possimus illam marito deditam iudicandam esse uxorem. Itidem harum litterarum auctor Xanthippae honorem defendere sibi proposuisse videtur.

Aliam multo maiorem difficultatem praebet epistula 29, ubi de Socratis uxoribus et filio sermo est. Scribit enim Aristippus ad Areten filiam: § 3. Ἀθήναζε χώρει, Ξανθίππην καὶ Μυρτὼ πρὸ παντὸς ποιουμένη, αἵ με πολλάκις ἐλιπάρουν ἐπὶ μυστήριά σε ἄγειν. τὸ οὖν ἡδὺ βιότευμα μετὰ τούτων ἔχουσα . . . πειρῶ δὲ μετὰ Ξανθίππης καὶ Μυρτοῦς ζῆν, ὡς ἐμοὶ φίλον μετὰ Σωκράτους, πλέον διὰ τῆς ἐκείνων φιλίας σεαυτὴν στέλλουσα: ἐκεῖθι γὰρ τὸ σοβαρὸν οὐχ ἐπιχώριον. § 4. εἰ δ' ἔλθοι θᾶττον ἅμα Λαμπροκλῆς εἰς Κυρήνην ὁ Σωκράτους, ὃς ἐν Μεγάροις ὡμίλει μοι, ποιήσεις ἄριστα κοινουμένη τὸν βίον

1) Omnia, quae in Xanthippae dedecus congesta sunt, collegit Menagius ad Diogenem Laert. II 36 sq.

2) Titulus est: Zur Ehrenrettung der Xanthippe. Abhandlungen und Vorträge, Lips. 1865, p. 51—61.

3) Cobetus iudicat de hac epistula p. 57: „Quae scribit auctor ep. 21, Xanthippen post iniquam mariti necem moerore confectam in summo luctu et desiderio degisse, aliorum dona repudiantem, ab Aeschine sustentatam, ea omnia propter fidem illius scriptoris, quisquis fuerit, plus quam dubiam nec affirmare nec refellere in animo est“.

αὐτῷ καὶ μηδὲν διαφορώτερον τοῦ τέκνου τιμῶσα. Cum neque Plato neque Xenophon quicquam rettulerint de duabus philosophi uxoribus, tantummodo restat, ut nulli alii rei nisi obtrectationibus aequalium, quos secuti sunt scriptores posterioris aetatis, totam fictionem adiudicemus[1]; atque ex omnibus quae constant, affirmari videtur Aristoxenum Tarentinum (ca. 300 a. Chr. nat.) ad spuria haec divulganda plurima attulisse. Ex ea autem re quod epistolographus profert illam consuetudinem sincera ratione, elucet ea aetate, qua scripta sit epistula, hanc Socratis bigamiam non iam valde dubiam, sed inter omnes notam fuisse: quae est alia causa, cur epistulam posterioribus temporibus conscriptam esse facilius intellegamus. Praeterea memoratu dignum mihi videtur etiam anno 356 – hoc enim anno Aristippus vivus commemoratur — auctorem harum litterarum utramque Socratis uxorem inter vivos esse prodidisse, quae res probabilis non est.

De Lamprocle, filio Socratis (cf. Xenoph. Memorab. II 2. 1. Diog. L. II 26), scimus eum patre a. 399 moriente μειράκιον ἤδη fuisse (Plat. apol. 34 D. Phaed. 116 B) atque paulo ante mortem patris cum Xanthippe matre ac duobus fratribus in carcere versatum esse (Plat. Phaed. 116 B). In paragrapho quarta huius epistulae Socraticae Aristippus dicit se Megaris cum illo commoratum esse (ὃς ἐν Μεγάροις ὡμίλει μοι), qua re probari videtur Aristippum, postquam Socrates vita excessit, Megaris fuisse; sed etiam hoc loco temporum ordinem non servatum esse ab epistolographo libenter confitebimur.

5. De Simone sutore.

Egregium vero studium consumpserunt epistolographi in Simone sutore (graece σκυτοτόμος), quem neque Plato

---

1) cf. imprimis Bentley-Ribbeck, p. 553. Luzac. Lectiones Atticae, 1809: De bigamia Socratis. — H. Buermann (Drei Studien auf d. Gebiete d. att. Rechts: 1) Das legitime Konkubinat der Athener u. d. vermeintl. Bigamie des Sokrates), Jahrb. f. klass. Philol. 9. Suppl. 1877/8, p. 584 sq., qui demonstrare studuit Socratem uno tempore et Xanthippen et Myrtonem uxores habuisse, refutatus est dissertatione Rudolphi Zimmermann, De nothorum Athenis condicione. Mederici 1886.

neque Xenophon in scriptis suis commemorant; neque apud alios scriptores multa de hoc viro audimus, cum Diogenes Laertius haud pauca rettulerit II 122—3: *Σίμων* Ἀθηναῖος, σκυτοτόμος· οὗτος ἐρχομένου Σωκράτους ἐπὶ τὸ ἐργαστήριον καὶ διαλεγομένου τινά, ὧν ἐμνημόνευεν ὑποσημειώσεις ἐποιεῖτο. ὅθεν σκυτικοὺς αὐτοῦ τοὺς διαλόγους καλοῦσιν. — εἰσὶ δὲ τρεῖς καὶ τριάκοντα ἐν ἑνὶ φερόμενοι βιβλίῳ. enumerantur. Οὗτος, φασί, πρῶτος διελέχθη τοὺς λόγους τοὺς *Σωκρατικούς*. ἐπαγγειλαμένου δὲ Περικλέους θρέψειν αὐτὸν καὶ κελεύοντος ἀπιέναι πρὸς αὐτόν, οὐκ ἂν ἔφη τὴν παρρησίαν ἀποδόσθαι. Eiusdem mentio fit apud Suidam s. vv. *Σωκράτης* et Φαίδων, cuius dialogus quidam inscriptus est sutoris nomine. Cum apud alios scriptores veteres nihil fere de hoc viro constet, de persona eius iam diu dubitatum est[1]), ut quicumque in studio huius sutoris propius determinandi versabantur, aut statuerint eum fictam esse personam aut addixerint ei aliquot scripta, quae adhuc ἀδέσποτα vel dubia erant[2]). Recentioribus temporibus Udalricus de Wilamowitz[3]) et Eduardus Zeller[4]) ut alii quoque illum omnino non vixisse demonstrare conati sunt. At quia iam antiquis temporibus dialogus exstitit Phaedonis, qui titulum prae se tulit Σίμων, elucere videtur hunc virum non plane ignotum fuisse, ut hoc quidem magis credamus Simonem re vera lucem aspexisse aut concorporasse collegium illud, cui attribuendus erat, i. e. sutorum[5]). Notabile mihi videtur huic Simoni multa attribui quae Socrati ipsi: iam nomen eius, germanice „Stülpner[6])“, ad Socratis faciem ipsam per-

---

1) cf. Fr. Ast, Platons Leben u. Lehre, p. 501 sq.

2) Aug. Boeckh, Commentat. in Platonis Minoem, Hal. 1806, p. 7 sq.; Teichmueller, Literar. Fehden, II, p. 97 sq.

3) Hermae t. XIV (1879), p. 187 sq.: Phaidon von Elis.

4) Philos. d. Griech. IIa[4], p. 242, adn. 6.

5) Wilamowitz, l. c., p. 187: „Daß der Schuster Simon keine historische Figur ist, sondern die ideale Verkörperung der Schuster, mit denen Sokrates zu exemplifizieren pflegte, weiß jeder Knabe zu sagen.“

6) cf. Pape, Griech. Eigennamen, s. Simon: Stülpner, d. i. dem die Nase gestülpt ist oder auch der die Nase stülpt oder rümpft, nach

tinere potuit. Praeter hoc in epistula 13 Socratica sutorem circumdant multi nobiles discipuli et auditores ut Socratem. Inde apparet, si Simonem unquam in vivis fuisse existimare volumus, non pauca ad eius personam exornandam collata esse concedemus.

Epistulae Socraticae varia de Simone afferunt, ut in epistula 18, qua Xenophon amicos ut ad se adeant invitat: Προσαγορεύσατε *Σίμωνα* τὸν σκυτοτόμον, καὶ ἐπαινέσετε αὐτόν, ὅτι διατελεῖ προσέχων τοῖς *Σωκράτους* λόγοις, καὶ οὔτε πενίαν οὔτε τὴν τέχνην πρόφασιν αἰνίττεται τοῦ μὴ φιλοσοφεῖν[1]). Epistulae 9 (Aristippus ad Antisthenem) verba τὰ λοιπὰ δὲ παρὰ Σίμωνα τὸν σκυτοτόμον βάδιζε διαλεγόμενος, οὗ μεῖζόν σοι ἐν σοφίᾳ οὐδὲν ἔστιν οὐδ' ἂν γένοιτο docent Simonem consuetudinem et familiaritatem egisse cum Socratis amicis et discipulis. Uberius postea disseremus de dialogo Phaedonis quaque ratione sutoris persona illustranda sit ex his epistulis. Quod ad Simonis auctoritatem attinet, in epistula 13 legitur eum non modo Socrati persuasisse (πάλαι μὲν Σωκράταν ἔπειθες), sed etiam pulcherrimos atque nobilissimos adulescentes apud eum versatos esse, ex quo fortasse depromere possumus, qui viri inducti fuerint in dialogo quodam, de quo postea verba faciam, quandoque hic dialogus conscriptus sit.

Nomina eorum, qui priores afferuntur, sunt haec: Alcibiades, Cliniae filius, Phaedrus Myrrhinusius, Euthydemus, Glauconis filius. Wilamowitzius recte animadvertit (l. c., p. 191) hoc loco intellegendum esse Dioclis filium Euthydemum[2]) et Glauconis Charmidem[3]), arbitratus epistulae auctorem eos

---

Eustath. Od. ι, 390 abgekürzt aus *Σιμωνίδης*. — cf. etiam verba ep. 20. Socr.: *ἀπεικόνισμα Σωκράτους*.

1) Cf. verba, quae facit Simo in epistula 12. Socr. atque in dialogo Phaedonis.

2) De Euthydemo vid. Natorp PWRE VI. 1. s. 12. Kirchner, Prosop. Att. s. 5520.

3) De Charmide PWRE III 2 s. 2 (Judeich). Kirchner, Prosop. Att. s. 15512.

sumpsisse ex Platonis Convivio (222 A), ut textus restituendus sit: Εὐθύδαμον τὸν ‹Διοκλέους καὶ Χαρμίδην τὸν› Γλαύκωνος[1]). Ceteros viros, quorum mentio fit hac epistula, eisdem temporibus attribuere possumus. Ad eos spectant verba ep. 13 haec: καὶ τῶν τὰ κοινὰ πρασσόντων Ἐπικρατέα τὸν Σακεσφόρον, καὶ Εὐρυπτόλεμον καὶ τὼς ἄλλως. ὡς εἰ καὶ Περικλεῖ γε τῷ Ξανθίππῳ μὴ αἱ στρατηγίαι ἦσαν καὶ ὁ πόλεμος τότε, κἂν οὗτος, οἶμαι, ἦν παρὰ σέ. Epicrates, cuius auctoritas apud populum non parva fuisse videtur, erat vir σπουδαῖος καὶ πολλὰ χρήσιμος τῇ πολει (cf. Kirchner, Prosop. Att. I s. 4859)[2])[3]). Magna est quaestio, qui intellegendus sit Euryptolemus; ego quidem illum esse censeo, qui variis citatus locis (Xenoph. Hellen. I, 4,19. 7,12. I, 7,16. 34. Plut. vit. Alcib. c. 32. Axioch. (Plat.) p. 369 A) Periclis familiaris[4]) (Xenoph. Hellen. I, 7,16. 21) in eorum numero fuit, qui Alcibiadem a. 408 redeuntem exspectabant quique a. 406 praetores ex pugna apud Arginusas facta in ius eductos defendit.

Denique contemplemur extrema verba, quae ad Periclem spectant quaeque minime apta allata esse videntur. Quod pertinet ad consuetudinem, quae intercesserit Pericli cum

---

1) Obens l. c. p. 21, quia Glyconis filius Euthydemus, sophista non ignotus, vocatus est, verba *Σωκράταν καὶ τὼς καλλίστως τῶν νέων* spuria esse concludit, sed ut arbitror nil habemus, quod praetermittamus quae supplenda proposuit Wilamowitzius. Praeterea illa verba, si vera sunt, non impediunt, ne dialogum prioribus habitum esse temporibus putemus.

2) Demosth. XIX 277. Lys. XXVII 5.

3) Obens adiecit p. 21: „Miro modo Epicrates appellatur Sacesphorus. Equidem puto eum, qui hanc epistulam scripserit, non intellexisse, quid sibi vellet hoc cognomen neque scivisse hoc nomen illi a Platone comico per ludibrium datum esse, quod grandem barbam haberet.“ Huic sententiae vix assentiemur: is qui doctrinam suam demonstrare vult, hoc Epicratis cognomen sive ex Platone comico ipso sive ex dialogo quodam vel alio scripto vel vita quadam deprompsisse videtur. Fortasse quoque hoc cognomen inter omnes notum erat.

4) cf. Kirchner, Prosop. Att. s. nn. 5984 et 5985.

sutore, Diogenes Laertius tradit[1]) Periclem Simoni pollicitum esse se eum domi suae recepturum atque ei victum praebiturum esse[2]), ex quo verisimile est Periclem, Xanthippi filium, re vera intellegendum esse. Melius bella, quae commemorantur, referantur ad Periclem, filium Periclis (Kirchner, l. c. II, s. 11812), qui, natus a. 445, praetor creatus a. 407/6, pugnae ad Arginusas commissae intererat a. 406/5 ineunte, de cuius cum Socrate vel Simone familiaritate, quantum scio, nihil constat. Ceteri quoque, qui nominantur, postea floruisse videntur.

Comprehendo ea, quae supra disputavi: Certa dici non possunt, sed verisimile est illos qui hac epistula appellantur viros Pericle excepto in dialogo quodam, quo Simo loquens inducebatur, nisi colloquio ipsi interfuerunt, commemoratos esse. Quae ratio fuerit sutoris atque auditorum eorum, qui his litteris nominantur, suspicandum est, qui Alexandrinorum aetate vitas composuerunt, plurima finxisse, ut etiam Socrati permulti adscripti sunt discipuli. Simul autem hac epistula comprobatur, quod iam alii secum tulerant[3]), antiquissimis iam temporibus eiusmodi magistri cum discipulis consuetudines atque scholas fuisse ante Socratem vivum, quod testantur duae διαδοχαί nuper papyris emersae[4]).

6. Socratis familiares. Aeschines Socraticus.

Quaecumque epistolographi proferunt de vita et sorte ceterorum Socratis familiarium, magna ex parte apud alios scriptores veteres reperimus. Multum operae consumpserunt in Aeschinis Socratici persona describenda, qui amicissimus

---

1) II 123.

2) vid. pag. 20, praeterea cf. Rudolphum Hirzel, Der Dialog, I, p. 104, adn. 3.

3) Wilamowitz, Antigonos v. Karystos (Philol. Untersuch. IV. 1880), p. 280. H. Diels, Philos. Aufsätze, Eduard Zeller gewidmet, 1887, p. 242sq.

4) cf. Guilelmum Croenert, Kolotes u. Menedemos, 1906. Studien zur Palaeographie u. Papyrusforschung, hrsg. v. Wessely, 6. Bd.

Socrati magistrum neque vivum neque morientem deseruerat[1]). Epistulis Socraticis confirmatur eum quoque, ut ceteros Socratis amicos, post magistri mortem Megaris versatum esse: verbosius referunt epistulae 21 et 22 eum in illa urbe familiariter usum esse Euclide et Terpsione. Prioris epistulae (21) verba significare videntur Aeschinem intima consuetudine coniunctum fuisse cum Xanthippe, quippe nobis notum sit eum non modo Socrati propinquissimum, sed etiam familiae eius fuisse: tradit enim Diogenes Laertius Aeschinem Socratis dialogos accepisse a Xanthippe, quos suo nomine edidisset[2]). Ceterum ex epistulis haud pauca comperimus de familiaritate, qua coniunctus sit Aeschines cum ceteris Socraticis. Epistula 23, qua epistolographus tractare studebat, quae ratio intercessisset Dionysio cum philosophis illius aetatis, missa fingitur e Sicilia, ubi Aeschinem re vera versatum esse scriptores veteres testantur[3]). Maxime autem epistularum auctores consuetudines philosophorum inter se ipsos perscrutati sunt, ut hac epistula mentio fit Platonis et Aristippi simultatis, quae aliis quoque locis illustratur. Paragrapho prima narratur Aeschinem ab Aristippo commendatum esse Dionysio; extrema huius epistulae paragrapho eiusdem cum Platone amicitia attingitur. Aliud tradit Diogenes Laertius in vita Aeschinis II 61: φασὶ δ' αὐτὸν (Aeschinem) ἐλθεῖν δι' ἀπορίαν εἰς Σικελίαν πρὸς Διονύσιον, καὶ ὑπὸ μὲν Πλάτωνος παροφθῆναι, ὑπὸ δ' Ἀριστίππου συστῆναι[4]); copiosam eamque simillimam narrationem, qua Plato Aeschinem commendat

---

1) cf. Diog. L. II 34. Senec. de benefic. I 8. Plat. Phaed. 59 B.

2) Diog. L. II 62; vide etiam h. d. pag. 10.

3) Diog. L. II 61. 63. Plut. de cohib. ira c. 14. adul. et amic. c. 26 alibique; cf. Natorp, PWRE I. 1 s. Aischines 14.

4) Idem dicit III 36: *εἶχε δὲ φιλέχθρως ὁ Πλάτων πρὸς Ἀρίστιππον . . . καὶ πρὸς Αἰσχίνην δέ τινα φιλοτιμίαν εἶχε, φασίν, ὅτι δή που καὶ αὐτὸς εὐδοκίμει παρὰ Διονυσίῳ.*

Siculorum regi, Plutarchus[1][2]) reddit. Obens iudicat (p. 29) ambos ex eodem fonte hausisse, cum in libris Diogenis Laertii similia inveniamus. Sed vidimus Diogenem Laertium priore loco, quem adduxi, verbis usum esse ὑπὸ μὲν Πλάτωνος παροφθῆναι, cum epistolographus dixerit § 3: πολλ' ἄττα ἐμαρτύρει τῷ Πλάτωνι (Dionysius) ὡς εἰρηκότι περὶ ἐμοῦ . . . . . qua re hoc loco Diogenem Laertium eundem fontem adhibuisse atque epistulae 23 auctorem non verisimile est. Immo vero quae ad inimicitias, quae exstabant inter Platonem et Aristippum, pertinent, hic auctor ad eundem fontem redire potuit; sed ut videtur, variae narrationes differebantur de hac re, atque ut epistolographi et scriptores favebant alter alteri, sermo ille mox Platoni mox Aristippo subponebatur[3])[4]). Fortasse epistulae auctori quae ratio intercederet Platoni cum Aristippo notum fuit — ex extrema paragrapho elucet propositum ei fuisse de illorum simultate disserere — atque postquam fontem eum, quo usus est Plutarchus l. c., inspexit, haec rettulit aliis etiam auctoribus arcessitis.

Praeterea Aeschinis cum aliis Socraticis consuetudo ab epistolographis effertur, cum Xenophonte (ep. 15), Cebete et Simmia (ep. 22), Antisthene (ep. 11), Simone (ep. 11). Saepius autem praedicatur, qua benevolentia fuerit Aristippus erga Aeschinem, ut dubium non videatur, quin artiore familiaritatis vinculo uterque conexus sit[5]).

1) Quom. adul. ab am. intern. p. 67 DE. cf. Orelli, p. 247. H. Dittmar, Aischines v. Sphettos (Philol. Unters. XXI 1912), p. 250 sq. Allatius (Orelli, l. c.) ad hunc locum animadvertit: „Plutarchus Platonis cum Dionysio colloquium nomine tantum Aristippi immutato ex hac epistula desumpsisse videtur“ quibus verbis Orellius adiecit haec: „Et omnino hic cum Dionysio sermo Platonis ingenio multo melius convenit quam Aristippi.“

2) cf. etiam Ael. Aristid. *περὶ ῥητορ.* c. 18: (II, p. 20 Dind.): *συμφοιτητὴς Πλάτωνος.*

3) cf. Theod. Gomperz, Griech. Denker II², p. 172, adn. 552.

4) Fortasse Aristippum induxit Aristoxenus Platoni obtrectans, cf. Lucian. *περὶ παρασίτ.* c. 32 sq.

5) cf. autem Diog. L. II 62.

7. Aristippus et Antisthenes.

Copiosius epistulae loquuntur de simultate, quae fuerit inter Aristippum et Antisthenem [1]), qua occasione epistolographi usi sunt de utriusque sententiis philosophiae moribusque permulta prodere. Praeter hoc utriusque philosophi cum Dionysio rege [2]) et Simone sutore [3]) consuetudo tractatur.

De Antisthenis vita nihil nisi eum Socrati moribundo adfuisse (ep. 14) narratur, cetera ad doctrinam eius et philosophiae sententias spectant; de Aristippi autem vita, familia, consuetudine multo magis docemur. Quod iam ex Platonis loco Phaedonis (59 C) novimus, non adfuit Socrati morienti, sed Aeginae versabatur cum Cleombroto (epp. 14. 16). Probabile est Aristippum post Socratis mortem Megara isse (ep. 16: ἐν Αἰγίνᾳ διατελέομες ἐπὶ τοῦ παρόντος. εἶτα δὲ παρ' ὑμᾶς (qui Megara se contulerant) ἀφιξόμεθα). Saepius in his epistulis Aristippi apud Dionysium in Sicilia commorantis mentio fit (epp. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 23. 29), ubi magna auctoritate philosophum fuisse variis testimoniis confirmatur [4]). In epistula 29 non pauca leguntur, quae ad Aristippi dies postremos, cognatos, doctrinam pertinent. Est enim epistula philosophi ad Areten filiam missa, quae sub nomine μητροδίδακτος non ignota est [5]), qua re epistulae auctor commovebatur, ut saepius

---

1) cf. ex. c. epist. 9 verba ironice dicta: *εὖ οὖν ποιεῖς ἀχθόμενος ἐπὶ τᾷ κακοδαιμονίᾳ τῶν ἄλλων. κἀγὼ δὲ ἐπὶ τᾷ σᾷ εὐδαιμονίᾳ ἄδομαι . . .* et epist. 13: *᾿Αντισθένης δὲ γυμνοποδῶν, πείθων τὼς νέως καὶ ἁπάντας ᾿Αθηναίως γυμνοποδεῖν.*

2) cf. imprimis epist. 9.

3) epp. 9. 11. 12. 13.

4) In epist. 9 Aristippi cum Dionysio rege consuetudo illuditur, qui ei dederat munera multa, quibus non delectetur philosophus. Epistula quae sequitur, iuvenes Locrenses ab Aristippo servantur. Obens (p. 19) dicit optime illud genus commendaticium adhiberi potuisse, cum Dionysius esset Doridis Locrensis filius. Equidem puto Locros nulla alia causa nominatos esse nisi quia omnes tres philosophos, qui hac epistula vocantur, illam Italiae urbem visitasse epistolographo persuasum fuisse videtur.

5) Diog. L. II 72. 86 alibique; cf. Natorp PWRE II. 1 s. Arete 3. Zeller, Phil. d. Gr. IIa⁴ 340,4.

Aretae filium vocaverit, ut § 4: πρὸ παντὸς δὲ ἐπισκήπτω σοὶ τοῦ μικροῦ 'Αριστίππου ἐπιμελεῖσθαι et paragr. extrema: κτηματίτην ποίει τούτου τὸν υἱόν, ὃν ἐβουλόμην μὲν αὐτὸς ἤδη ἐμὸν υἱὸν εἶναι. De Aristippi cum Arete familiaritate memoriae prodidit Diogenes Laertius (II 72) haec: τὰ ἄριστα ὑπετίθετο τῇ θυγατρὶ 'Αρήτῃ, συνασκῶν αὐτὴν ὑπεροπτικὴν τοῦ πλείονος εἶναι (cf. verba paragr. 2 epist. Socratic.: ὑποτίθεμαι δέ σοι τὰ πρὸς ἄρχοντας οἰκονομεῖν ὥστε τὸ ἐμὸν συμβούλευμα τοῦτο συμφέρον δέχεσθαι· τοῦτο δ' ἦν μὴ τοῦ πλείονος ὀριγνᾶσθαι); ex epistula Socratica comperimus Areten graviter opprimi per episcopos Cyrenenses, quibus rebus maritus eius resistere non potuerit, eamque in illa urbe hortos obtinere fundamentaque; haec utrum vera sint an falsa, hodie discernere non possumus. Item quae de Aristippo ipso moriente narrantur, in dubio relinquenda esse denegari non potest. Nam ut iam Guilelmus Croenert (Kolotes u. Menedemos, p. 87, adn. 426) recte animadvertit, auctor epistulae errare videtur tradens Aristippum in Lipara insula morbo adfectum Aretae epistulam misisse, quia illa insula non sita esset inter terram Siculam et regionem Libycam [1]). Utut sit, Aristippum in illa insula occubuisse a vero non abhorreat, sed quia nomen Sonici, qui aegrotum alebat, aliaque quae epistula hac docentur, nobis ignota sunt, non reiciendum mihi videtur epistolographum ex fonte hausisse, qui hodie nobis non servatus est [2]). Fortasse quoque ex vita quadam Aristippi nonnulla arcessivit.

8. Xenophon.

Haud pauca in epistulis Socraticorum facta sunt verba de Xenophonte. Epistulae 5 auctor refert eum in Thebanorum

---

1) Obens (p. 21), qui librum, quem citavi, inspexisse non videtur, idem commemorat. At vero non credendum est ei, qui asseveret auctori epistulae, ubi illa insula sita esset, plane ignotum fuisse.

2) In paragrapho prima legitur in editione Hercheriana *καὶ ὡς ἂν εἰ . . . ἀρκεῖταί τις ζῆν τῶν διάθεσιν φιλικήν.* In codice aliquo legitur *καὶ ὡς ἐν ᾅδου τοῖς ἀρκεῖται· τίς ζῆν τῶν δ. φ.*, in cod. Vaticano 64 *καὶ ὡς ἂν εἰ δυντοις ἀρκεῖται τίς ζῆν τῶν δ. φ.*

urbe commoratum esse; ad hoc Obens (p. 17) adiecit: „Sine dubio auctor illum ibi esse fingit, quod ex Xenophontis libro, qui anabasis inscribitur, sciebat Proxenum, illius amicum, qui ut secum ad bellum proficisceretur ei suaserat, Thebis natum esse. At Proxenus ipse illis temporibus iam in Asia erat.“ Non intellego, cur haec verba adnotaverit Obens, quoniam epistolographus ipse dicit: Πρόξενον δὲ καταλαβεῖν εἰς τὴν 'Ασίαν. Xenophon utrum Thebis versatus sit an non, non constat. Epistula 19 Xenophon scribit familiaribus suis: ἔγραψα δὲ καὶ Γρύλλῳ τῷ υἱεῖ, καὶ τῷ ἑταίρῳ, εἴ του δέοι, παρέχειν σοι. Γρύλλῳ δὲ ἔγραψα, ἐπειδὴ ἀπὸ νέου ἔτι κομιδῇ ἐς αὐτὸν ἐβάλου, καὶ φιλεῖν ἔλεγες. Forsitan Aeschines Socraticus, cum fuerit pauperrimus, intellegendus sit. Sed cum hic Xenophontis filius natus sit demum a. 399 (Anabas. VII 6,34) et Diogenes Laertius referat eum cum fratre Diodoro educatum esse Spartae paucisque cum servis Lepreum indeque Corinthum concessisse, quo tempore Elei Scillunte potiti sunt (a. 371), totam rem finxisse epistolographum probabile est: nam a. 362, quo mortuus est Gryllus, demum a patre una cum fratre Athenas missus est (Diog. L. II 53)[1]. — Xenophontem quoque Megaris fuisse epistula 15 indicatur, in quam simultatem eam, quae fuerit inter Platonem et Xenophontem, scriptor inserere conatus est, cf. imprimis § 3.

9. Plato.

Animos iam convertamus ad ea, quae de Platone audimus cuiusque nomine praescriptae sunt epistulae 24. 25. 26. Praeter id, quod ad Platonis cum familiaribus Socratis et Pythagoreicis consuetudinem spectat, itinera eius in regiones peregrinas facta pertractantur. Epistula 23 eum in aula Sicula fuisse docet; neque vero dicitur, quo tempore hoc factum sit; concludere autem licet, ut de Platone Aristippum metuente disseritur, hoc loco primum Platonis in Siciliam iter atque

1) De Gryllo vid. Kirchner, Prosop. Att. s. n. 203.

Dionysium maiorem intellegendum esse[1]). E verbis epistulae 10 (Αἰσχίνης Ἀριστίππῳ): ἔγραψα μὲν καὶ Πλάτωνι παρακαλῶν ὅπως διαπράξησθε σωθῆναι τοὺς Λοκροὺς νεανίσκους, καὶ σοὶ δὲ τὰ αὐτὰ ἐπιστέλλων οὐχ ἁμαρτάνειν οἶμαι apertum esse videtur philosophum Cyrenaicum maiore usum esse auctoritate apud Dionysium Platone, cum respondeat in epistula subsequenti (Ἀρίστιππος Αἰσχίνῃ): Λυθήσονται τᾶς φυλακᾶς οἱ νεανίσκοι, περὶ ὧν μοι γράφεις οἱ Λοκροί, καὶ οὐ τεθνάξονται οὐδὲ ἀπολοῦντί τι τῶν χρημάτων, ἥκοντές γε παραυτὰ τοῦ θανεῖν, cf. etiam ep. 23. Epistulae 22 scriptorem, qui illa aetate, qua Socratis nondum diu mortui amici consuetudinem agebant cum Euclide, Platonem iam in Italia atque Sicilia magna fuisse auctoritate eloquitur, cum re vera iter primum confecerit a. 388, errasse Obens monuit (p. 29). — In epistula 26 philosophi cum Dionysio rege familiaritas effertur (certo minore); epistula quae subsequitur Phaedrus, ille Platonis amicissimus, de illius itineribus verba facit, qui πορρωτέρω ἀποδημεῖν ἐμέλλησεν. Epistula 28 pertinet ad Platonis iter in Aegyptum factum[2]), de quo varii scriptores veteres referunt: sin etiam concedi oportet iam illos ad peregrinationes Platonis exornandas multa adfinxisse[2]), eodem iure non infitiabimur eum re vera eas quae nominantur terras visitasse, praesertim cum in Platonis libris, ut in Timaeo et in Legibus, multa sint quibus eum in Aegyptum peregrinatum afuisse confirmetur.

10. De Speusippo et Xenocrate.

De Phaedro alio loco disseremus. Restat, ut de eis, qui Platoni successerunt in Academia regenda, Speusippo

1) Epistula 24 Platonis cum Archyta familiaritatis mentio fit, de qua alibi quoque nonnulla legimus, cf. E. Wellmann, PWRE II. p. 600 s. Archytas 3 et Platonis epistulas 9 et 12.

2) Quae constant de Platonis itineribus, vid. Überweg-Praechter, Gesch. d. Philos. I[10], p. 128. Th. Gomperz, Griech. Denker, II[3], 1912, p. 209, adn. p. 559, imprimis autem W. Christ, Sitzungsber. d. Münchn.

et Xenocrate, aliquot verba faciam, quod illae quoque epistulae (32, 33, 34) continent, quae memoratu digna sint. Ac primum quidem docemur, quae ratio intercesserit Xenocrati cum Platone: epp. 32 (§ 2, 3). 34 (§ 2). Diogenes Laertius IV 6, quo loco de Xenocrate iuvene sermo est, dicit: οὗτος ἐκ νέου Πλάτωνος ἤκουσεν; Athenaeus autem (IX 507 C) tradit Platonem Xenocratem, ubi recens Athenas advenisset et in Aeschinis disciplinam se contulisset, huic mox subtraxisse, cui cum Aeschine nunquam bene convenisset. Ad hoc de Xenocrate Platonis amicissimo atque discipulo conferenda sunt verba, quae leguntur apud Aelianum var. histor. III 19. XIV 9. Priore loco (ὁ Πλάτων οὐ προσίετο τὸν ἄνδρα (Aristotelem), προετίμα δὲ αὐτοῦ Ξενοκράτην καὶ Σπεύσιππον καὶ Ἀμύκλαν καὶ τοὺς ἄλλους) Xenocratem primum vocatum esse memorabile mihi videtur. Praeterea ea res, quod Xenocrates una cum Platone in terram Siculam transmigravit[1]), quaeque tradit Diogenes Laertius IV 11, testes sunt Xenocratem Platoni valde adfectum fuisse. Epistulae Socraticae etiam amplius afferunt: Platonem desiderasse Xenocratem post mortem iuxta se deponi. Item aliud est commemorandum: Speusippum arcessisse Xenocratem, ut susciperet scholam Academicam regendam, satis constat[2]); neque vero notum est, quod epistulae 32 auctor profert, id factum esse propter Platonis iussa (διὰ τὴν Πλάτωνος ἐντολήν).

Praeter hoc epistolographi sibi proposuerant Speusippi morbum describere, atque cum scriptores veteres permulti certiores nos faciant de aegroto huius philosophi corporis statu, ut Diogenes Laertius IV 3 ἤδη δὲ ὑπὸ παραλύσεως καὶ τὸ σῶμα διέφθαρτο (conferas verba, quae fecit auctor epistulae

---

Akad. 1901, p. 95 sq.; Abhdlg. d. Bayr. Akad. 1886, t. 15. Platon. Studien, p. 507 sq.

1) Diog. L. IV 6. 11. Ael. v. h. XIV. 9. Valer. Max. IV. 1. Ed. Zeller, IIa[4], p. 988, adn. 1.

2) Diog. L. IV. 3. Themist. or. XXI p. 255 B; cf. Index philosoph. academicorum, edid. Segefr. Mekler, 1901, p. 38.

36 Socraticae de Speusippo curriculo in scholam vecto) id difficile non erat. Simul quod ad singula verba sententiasque attinet, intellegimus his epistulis simillimam esse Platonis epistulam quartam, atque primo Rudolphus Hercher illas epistulas ex hac excerptas esse ostendit[1]). Accedit, quod scriptores harum litterarum propagare studebant scholam Academicam, quam rem confirmant sententiae nonnullae: ep. 32 παραγενόμενον εἰς 'Ακαδημίαν συνέχειν τὸν περίπατον, ep. 33 τῶν ἐν τῷ περιπάτῳ ἐπιμελήσῃ προσηκόντως[2]).

11. De aula Sicula.

Propositum erat epistolographis omnia pertractare, quae agebantur in aula Sicula, non modo quia philosophi illustrissimi et nobilissimi ut Plato, Aristippus, Aeschines, ibi versati sunt, sed voluptates et dapes Siculae erant, cur dissentirent philosophi vel rhetores et cynici et hedonici. In hac re qua quisque plurima adstruere potuit, facile erat pronuntiare illos quos vocavi philosophos clarissimos uno tempore Dionysii usos esse consuetudine, ut componerentur cum sermones maxime egregii philosophorum tum quae consuetudines atque simultates exstitissent inter eos ipsos.

Facile fieri potuit, ut in epistulis Socraticis — ad aulam Dionysiacam spectant epp. 8, 9, 10, 13, 23, 35 — multa ab epistolographis ut iam a scriptoribus priorum temporum, quos secuti sunt, fingerentur. In epistula 23 non modo Plato et Aristippus, sed etiam Aeschines eodem tempore in Sicilia commorantes citantur. Libenter quidem existimo Aristippum iam diutius in aula Sicula versatum esse, sed arbitror multa quae ad Aristippum spectant, nulla alia causa allata esse nisi quod illam τρυφήν, quae propria erat aulae Dionysiacae, ad Aristippum referri oportere quisque sibi persuaserat. Eadem mente epistulae 8 sqq. scriptae esse videntur. Omnino multa a cynicis contra Aristippum excogitabantur: has epistulas

1) Hermes IV (1870), p. 427 sq.

2) cf. etiam Freder. Leo, Die griech.-röm. Biogr. 1901, p. 57 sq.

contemplantes accipimus plurima multo magis ad Dionysii quam ad philosophi Cyrenaici ingenium accomodata esse (cf. epp. 8, 9, $_{1, 2, 3}$). — Etiam aliis locis terram Siculam commemoratam invenimus: scriptum videmus ep. 24: οὔπω μὲν εἶχον τούτων τι πέμπειν εἰς Συρακούσας, ὧν ἔφης 'Αρχύταν δεηθῆναι λαβεῖν παρὰ σοῦ, θᾶττον δὲ καὶ οὐ διὰ μακροῦ πέμψομέν σοι. ep. 26: διότι περὶ Διονύσιον ὅμοιοι διαμένετε ταῖς εὐνοίαις. Praeter hoc in epp. 35. 36. de Dionysii indole et consuetudine complura verba facta sunt[1]).

12. De doctrina cynica.

Haud pauci epistularum auctores favere videntur certae sectae philosophicae, atque vere plurimae epistulae cynicae habitae sunt: non modo cynicorum sententiae adducuntur vel disputantur, sed cynici quoque ipsi introducuntur. Atque vero plurima, quae de Socrate audimus, cynicorum animum et habitum testari videntur (cf. epp. 1, 6, 17)[2]). Qua de re verisimile esse puto nonnullas epistulas conscriptas esse in schola rhetorica, ut propagaretur cynismus. Simul statuendum est epistularum auctores ut aliorum ita varia cynicorum scripta in usum suum convertisse.

Praecipue occurrunt variae sententiae philosophicae, ut eius modi sententias, seu de amicitia, seu de avaritia, de luctu, de imperii studio, de virtute, a magistro de quibus disputaretur, quasi argumentum vel propositum dictas esse opinemur[3]). Exempla sunt ampla. Eligo haec:

1) Dionysii mentio fit etiam ep. 30 § 1: *ἐπώλει τῷ Σικελίας τυράννῳ Διονυσίῳ* sc. *τὸν λόγον*. — cf. etiam verba ep. 22: *καὶ Πλάτων περὶ 'Ιταλίαν θαυμάζεται καὶ περὶ Σικελίαν πᾶσαν.*

2) Jam Obens, p. 6sq., duo *πρέπα* notaverat.

3) Conferas velim multa quoque progymnasmaticorum ut Theonis, Hermogenis, Aphthonii, Nicolai sophistae praecepta, quae composita invenies a Leonardo Spengel, Rhetores graeci, t. II, p. 1—130, t. III p. 447—498. (1854. 56). Nicolai progymnasmata, ed. C. Felten, Rhet. graeci, vol. IX. 1913.

Saepe quoque ut aliorum poetarum ita Homeri versus inserti sunt, ut ep. 1 § 7 Pindari, ep. 5 § 2 *μηδὲ γένος πατέρων αἰσχυνέμεν*, ep. 35

ep. 1 quae ad Antisthenis Archelaum spectare videntur; conferas pag. 69 sq.

ep. 5 § 2 δυοῖν τούτοιν μάλιστα προσδεῖται πόλεμος, καρτερίας τε καὶ ἀφιλοχρηματίας. διὰ ταύτην μὲν γὰρ τοῖς οἰκείοις φίλοι, διὰ καρτερίαν δὲ φοβεροὶ τοῖς ἀντιπάλοις γινόμεθα.

ep. 6 multa in cynicorum ratione scripta esse facile intellegitur: imprimis de χρηματισμῷ et πενίᾳ cynici sermo est.

§ 2 ἐμοὶ μὲν τοίνυν ἀπαρκεῖ τροφῇ τε χρῆσθαι τῇ λιτοτάτῃ καὶ ἐσθῆτι θέρους τε καὶ χειμῶνος τῇ αὐτῇ, ὑποδήμασι δὲ πάμπαν οὐ χρῶμαι, οὐ δὲ πολιτικῆς ἐφίεμαι δόξης πλὴν ὅσον ἐκ τοῦ σώφρων εἶναι καὶ δίκαιος.

§ 5 μίαν ἀρχὴν εὐδαιμονίας ἐγὼ νομίζω φρονεῖν εὖ.

§ 9 τῆς μὲν οὖν ὀλιγοχρονίου χάριτος εἰκὸς καὶ τὰς ἀμοιβὰς εἶναι βραχείας, αἱ πολυχρόνιοι δὲ τῶν εὐεργεσιῶν ἴσην τῇ ὠφελείᾳ τίκτουσι τὴν ἀμοιβήν.

§ 12 καίτοι ὑπὸ μὲν ἀργυρίου οὐδεὶς βελτίων εἰς τὴν ἡμέραν ταύτην ἱστορεῖται γενόμενος, ὁ δὲ δόκιμος φίλος . . .

Sequuntur variae epistularum Antisthenis et Aristippi sententiae, quae magna ex parte ad cynicorum rationem pertinent.

ep. 8 οὐκ ἔστι τοῦτο φιλοσοφεῖν τὸ παρὰ τυράννοις ἀνδράσιν εἶναι καὶ Σικελικαῖς προσανέχειν τραπέζαις, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ ἐν τῇ ἰδίᾳ τῶν αὐτάρκων ἐφίεσθαι usque ad verba καὶ ταῦτα τύραννοι.

ep. 8 ὁπόσον οὖν ὑγίειά τε καὶ φρόνησις νόσου τε καὶ ἀφροσύνης διαφέρει, τοσοῦτον ἂν καὶ σὺ διενέγκαις πρὸς τὰ νῦν σοὶ ὄντα.

ep. 11 οὐ γὰρ αὐτῷ (i. e. Antistheni) ἀρέσκει τυράννοις φίλοις χρῆσθαι, ἀλλὰ . . .

ep. 12 μέμνησο μέντοι λιμοῦ καὶ δίψης. ταῦτα γὰρ δύναται μέγα τοῖς σωφροσύνην διώκουσιν.

ep. 20 Τὴν μὲν σὴν καρτερίαν . . . Ἀθήνησιν.

ep. 21 de luctu quaedam sententiae. § 1 λυπουμένη ἕκαστα καὶ σεαυτὴν ἀδικήσεις καὶ τοὺς παῖδας. § 2 λύπη δὲ δοκεῖ

οἷοι καὶ Δαναοῖσι μετέασιν ἀριστῆες, ὅσσοντ' ἐπικίδναται ἠώς Homeri, ep. 31 § 1 Hesiodi. Accedunt, quae de versibus comicis passim dixi.

τῶν ἐναντίων ζωῇ εἶναι, ὅπου βλάπτονται ὑπ' αὐτῆς οἱ ζῶντες.

ep. 22 § 1 ἦν λόγος, ὅτι πένητος πλουσιώτερον οὐδὲν εἴη. κινδυνεύω γάρ, μὴ πολλὰ ἔχων πολλὰ κεκτῆσθαι δι' ὑμᾶς τοὺς φίλους, οἵτινες ἐπιμελεῖσθε ἡμῶν.

ep. 26 ut etiam aliis in epistulis de amicitia[1]): ἤθους γὰρ κρίσιν οὐδεμίαν ἀκριβεστέραν ἡγοῦμαι τῆς ἐν φιλίᾳ βεβαιότητος. — νομίζοντες ἐλευθεριωτάτην ἐπικαρπίαν εἶναι τῆς τοιαύτης διαθέσεως τὴν παρὰ τῶν εὖ ζώντων εὐφημίαν.

ep. 29 § 2 μὴ τοῦ πλείονος ὀριγνᾶσθαι. — ὑπεροπτικὴ παντὸς οὖσα τοῦ πλέονος.

§ 3 τῶν μικρῶν ἡμῶν οὐ παρακελεύομαι καταφρονεῖσθαι, ἀλλὰ μὴ ἐπὶ μικροῖς ταράττεσθαι, ἔνθα οὐδὲ ἐπὶ μεγάλοις καλὸν ἡ ὀργή.

§ 5 μέγα χαῖρε ἐπὶ τῷ πλοῦτον πλουτεῖν.

ep. 32 § 1 θεῶν γὰρ δὴ καὶ γονέων καὶ εὐεργετῶν ποιητέον ἐπιμέλειαν τὸν χαρίεντα.

§ 3 σοφία γὰρ ἀληθὴς λέγοιτ' ἂν ἐνδίκως βεβαιότης καὶ πίστις.

ep. 34 § 1 ἀνδρίᾳ γὰρ καὶ ῥώμῃ καὶ τάχει διενεγκεῖν δόξειεν ἂν χαρίεντος εἶναι.

13. De apparatu Socraticorum scriptorum.

Aliud erat epistolographorum propositum libros clarissimorum virorum effingere, quo modo multa gravia et notabilia hodie nobis servata sunt. Saepius quoque sufficiebat eorum cognitio auctoribus epistularum, qua in re potissimum contulerunt studium ad Socraticorum dialogos et scripta alia. Quae lateant in epistulis Socratis et Socraticorum, ea quae sequitur huius dissertationis parte perscrutari volumus.

14. Phaedonis Simo.

Si inspicimus epistulae 13 verba, quae initio leguntur ‹οὐκ ἐγώ σε κωμῳδῶ, ἀλλὰ Φαίδων, λέγων γεγονέναι σε κρείσ-

1) cf. Bohnenblust, Beiträge zum Topos περὶ φιλίας, Berl. 1905, p. 26 sq. Diss. Bern.

σονα καὶ σοφώτερον Προδίκῳ τῷ Κίῳ, ὅς ἔφα ἀπελέγξαι σε αὐτὸν περὶ τὸ ἐγκώμιον τὸ εἰς τὸν Ἡρακλέα γενόμενον αὐτῷ› verisimillimum videbatur iam Wilamowitzio hoc loco epistulae auctorem usum esse Phaedonis dialogo, qui inscriptus erat Σίμων[1]); haec suspicio cum affirmetur Diogene Laertio teste (II 105: διαλόγους δὲ συνέγραψε (sc. Phaedo) γνησίους μὲν Ζώπυρον, Σίμωνα ...), maiore iure existimare liceat illum dialogum perlustratum esse. Restat, ut quae nota sint de huius dialogi argumento, inquiramus. Praeter duas sententias[2]), quas ad Phaedonis Simonem referendas esse probabile est, tantummodo haec epistula certiores nos facit de illo dialogo. E verbis quae supra attuli, eisque, quae paragr. 2 leguntur: ‹σὺ δ' ὁμολογῶν εὐλόγως ἐρωτᾶν Πρόδικον, τὸ ἀκόλουθον οὐκ ἔγνως ἐπὶ σαυτοῦ› patet in hoc dialogo Simonem, postquam perstrinxit laudationem Prodici in Herculem factam, a Phaedone irrisum esse. Quam ob rem non putabimus hoc loco epistolographum doctrinam suam petitam ex Xenophontis Memorabilibus (II, 1,21)[3]) explanare voluisse; nam e verbis σὺ δ' ὁμολογῶν εὐλόγως ... apparere mihi videtur eum non nulla scivisse de illo dialogo, sed ei nota fuisse etiam plura, ut fortasse eos viros, quorum mentio fit in hac epistula[4]), aut in illo dialogo

---

1) Hermae t. XIV, p. 187 sq.

2) Alteram (Julian ep. 59 p. 751 Hertlein, 1875) invenit Jacobus Bernays (vid. Wilamowitz, l. c. p. 476 Nachtrag), alteram (Senec. ep. 94, 41 ed. Hense) Rudolphus Hirzel. Haec est: „Minuta quaedam, ut ait Phaedon, animalia cum mordent, non sentiuntur. Adeo tenuis illis et fallens in periculum vis est. Tumor indicat morsum et in ipso tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in conversatione virorum sapientium eveniet. Non deprehendes, quemadmodum aut quando tibi prosit, profuisse deprehendes.“ Illa: *„ἀκούεις ἐκεῖνον τὸν Ἠλεῖον Φαίδωνα, καὶ τὴν ἱστορίαν ἐπίστασαι ... ἐκεῖνος ἐνόμιζεν οὐδὲν ἀνίατον εἶναι τῇ φιλοσοφίᾳ, πάντας δὲ ἐκ πάντων ὑπ' αὐτῆς καθαίρεσθαι βίων ἐπιτηδευμάτων ἐπιθυμιῶν. πάντων ἁπαξαπλῶς τῶν τοιούτων. εἰ γὰρ τοῖς εὖ πεφυκόσι καὶ καλῶς τεθραμμένοις ἐπήρκει μόνον, οὐδὲν ἂν ἦν θαυμαστὸν τὸ κατ' αὐτήν. εἰ δὲ καὶ τοὺς οὕτω διακειμένους ἀνάγει πρὸς τὸ φῶς, δοκεῖ μοι διαφερόντως εἶναι θαυμάσιον.*

3) Obens, l. c., p. 20.

4) cf. quae ante diximus pag. 21 sq.

nominatim allatos aut de illis verba quidem aliquot facta esse. Atque vero in his Phaedonis dialogis illos viros induci potuisse alio dialogo, qui inscribitur Ζώπυρος, illustratur, in quo Alcibiades, qui hac epistula item nominatur, interest colloquio, ut etiam dialogo eo, qui titulum prae se tulit Ἀλκιβιάδης[1]). Quaestio est, num Socrates ipse in hoc dialogo partes egerit[2]), quod testari mihi videtur Dio Chrysosthomus, cuius verba leguntur apud Synesium[3]): Ἀλλὰ καὶ Γλαύκων, ἀλλὰ καὶ Κριτίας ἐκ τῆς ὁμοίας αὐτῷ (i. e. Socrates) διελέγοιτο, καὶ οὐδὲ Σίμων ὁ σκυτεὺς πάνυ τι συγχωρεῖν ἠξίου Σωκράτει, ἀλλ' ἐπράττετο λόγον ἑκάστου λόγου. Forsitan quoque, qui conscripserit epistulam 9 Socr., iudicare voluerit Aristippum colloquio non interfuisse; dicit enim hic: ἐμοὶ μὲν γὰρ ἀπηγόρευται τοῖς χειροτέχναις προσιέναι. Sane autem nobis cavendum est, ne nimium confidamus his verbis, quia Aristippus ex nulla alia causa sermoni non interfuerit nisi quod habitus sit in sutoris officina.

15. Antisthenis Simo.

Praeterea quaerendum est, num Simo in Antisthenis quodam dialogo inductus fuerit[4]). Sutor utrum in vivis fuerit

1) cf. etiam Th. Gomperz, Griech. Denker, II³, p. 167.

2) Quod ad argumentum ipsum attinet, Wilamowitzius primus (l. c. p. 187 sq.), deinde Rudolphus Hirzel longius disputarunt atque cum ille Prodicum a Simone refutatum esse censeat, hic arbitratur id in exordio evenisse, quo Phaedo vel Socrates ipse de ingenti sutoris sapientia verba faciens enarraverit, quo modo ut Prodicum refutaret effecisset; in dialogo ipso, cuius argumentum nobis plane ignotum sit, Simonem et Socratem inter se dissedisse suspicatur. — Hirzelius (p. 112) non comprobat Wilamowitzii sententiam, arbitratus Socratem, qui cum sutore collocutus esset, Prodici verba recitantem convictum esse. Hoc autem optimo ut videtur iure tenendum est, quia nobis persuadetur toti epistulae et maxime primis verbis iocum atque irrisionem subesse (cf. etiam ep. 9 verba: *τὰ λοιπὰ δὲ παρὰ Σίμωνα βάδιζε διαλεγόμενος, οὗ μεῖζον ἐν σοφίᾳ οὐδ' ἔστιν οὐδ' ἂν γένοιτο.*

3) p. 37 R.

4) Ferd. Dümmler, Antisthenika, p. 37,1. C. Joël, Der echte u. d. xenophont. Sokrates, II. 1. p. 306 sq. Antisthenem in eo libro, quem

an non, ego discernere nolo, sed optime fieri potuit, ut persona quaedam a Platone et Xenophonte omnino non nominata, quoniam sutor erat, tamen in dialogo potissimum cynico famam assequi posset. Atque vero, si Simonem Antisthenis Herculi attribuimus eisque, quae his epistulis referuntur, fides habenda est, nos concedere oportet sutorem cynicae parti multo magis appropinquasse quam cyrenaicae.

Meo quidem arbitrio ut Antisthenes hac persona usus est ita etiam Phaedo eandem inducere potuit[1]), neque a vero abhorret eos viros, qui cum Simone epistolaria consuetudine utentes commemorantur, in dialogo Phaedonis partes egisse. Immo vero dialogo nobis tam ignoto nos nimium addicere iniquum est; qua re, epistolographus quem ad fontem respexerit, in dubio relinquemus[2]).

---

inscripsit *Ἡρακλῆς*, Simonis personam induxisse ostendere conatus est, sutorem eadem ratione atque epistulis Socraticis insectatum esse philosophum Cyrenaicum ratus. Apertum esse declarat Joël (p. 307) fabulam Prodici ad efferendum Herculem fictam in dialogo quodam Socratico pertractatam esse, quo Simo a Phaedone illudebatur; sed quia Simo omnibus quattuor epistulis Cynico (i. e. Antistheni) accommodatus sit, probabilius esse Simonem alterius personae sutoris respondere; denique quod Xenophon hauserit ex Antisthenis dialogo *Ἡρακλῆς*, Joël conicit Herculem et Antisthenis et Prodici eundem esse dialogum, in auxilium vocans verba ep. 9. Socr.: *πέμψω δέ σοι τῶν θέρμων .., ἵν᾿ ἔχῃς μετὰ τὸ ἐπιδείξασθαι τὸν Ἡρακλέα τοῖς νέοις ὑποτραγεῖν . . . τὰ λοιπὰ δὲ παρὰ Σίμωνα βάδιζε διαλεγόμενος*, qua re iudicat non Phaedonem excogitasse illum sutorem. Amplectitur hanc quaestionem verbis his (p. 307): So erklärt sich im Antisthen. Herakles die in den Briefen so krause, unverständliche Verbindung der Namen Aristipp, Simon, Prodikos, Herakles, Antisthenes etc.

1) cf. Hirzel, l. c. p. 103, adn. 5.

2) Guilelmus Capelle, De Cynicorum epistulis, Diss. Gott. 1896, p. 9sq., postquam auctorem ep. 9 Diogenis Cynici ad eundem fontem redisse statuit atque ep. Socr. 12 scriptorem, verba adiecit: „Qualis hic fuerit, post Wilamowitzii de epp. 12. 13. Socr. quaestionem dubium esse vix potest.“ Cogitat igitur de Phaedonis Simone. Verba autem, quae comparat *σωφρονίζοι* et *σωφρονιστής, σκύτη τέμνειν εἰς νουθεσίαν ἀνθρώπων ἀφρόνων* Herculi Antisthenis potius addicenda videntur quam Phaedonis dialogo.

16. Aeschinis commentarii et Alcibiades.

Tum quaerendum est, num epistulae 22 Socr. auctor cogitaverit de commentariis Aeschinis Socratici dicens paragr. 1: τῶν δὲ συγγραμμάτων οὔπω τι εἶχον τοιοῦτο, ὥστε καὶ ἄλλοις θαρρεῖν δεικνύναι δίχα ἐμοῦ, ὡς παροῦσιν ὑμῖν ἔνδον ἐν τῷ οἴκῳ, ἔνθα Εὐκλείδης κατέκειτο, ἀσμένως ἐλέσχαινον. Ad haec conferas verba Diogenis Laertii II 62: τούτου (i. e. Aeschinis) τοὺς διαλόγους καὶ Ἀρίστιππος ὑπώπτευεν· ἐν γοῦν Μεγάροις ἀναγιγνώσκοντος αὐτοῦ, φασι σκῶψαι εἰπόντα· πόθεν σοι, ληστά, ταῦτα; ex quo patet post Socratis mortem Megaris dialogos Socraticos recitatos esse[1]). Ex epistula 15 (§ 2) apparet in illa urbe etiam ceteros Socratis discipulos dialogos suos recitavisse[2]); simulantem comperimus Aeschinem illo tempore verba et facta Socratis nondum litteris mandasse (ep. 22 § 1)[3]).

Etiamsi non argumentum profertur dialogi, tamen mentio fit alterius Aeschinis libri in epistula 23, qua Aeschines in Siciliam profectus ab Aristippo Dionysio commendatus dialogum, qui Ἀλκιβιάδης inscriptus est, recitaverit. Verba sunt haec: οὗτος (i. e. Dionysius) οὖν ἤκουσεν τοῦ Ἀλκιβιάδου, καὶ ἡσθεὶς ὡς ἐφαίνετο, παρεκάλει, καὶ εἴ τινες ἄλλοι εἰσὶν ἡμῖν

---

1) Ceterum antiquis temporibus exstitit Euclidis dialogus, qui inscriptus erat *Αἰσχίνης*, quo varia de illius vita et doctrina tradita fuisse verisimile est. Fortasse epp. 21. 22 continent nonnulla, quae ex Aeschinis scriptis petita sunt, cf. *ἦν λόγος, ὅτι πένητος πλουσιώτερον οὐδὲν εἴη* — haec a comico sumpta esse <*οὐδὲν πένητός ἐστι πλουσιώτερον*> censet Cobetus, Mnemosyne, X 1882, p. 58, sed etiam ad Aeschinis dialogum quendam (ut Calliam) referri posse puto; pari modo verba quae sequuntur *κινδυνεύω γάρ, ὡς ὁρῶ, μὴ πολλὰ ἔχων πολλὰ κεκτῆσθαι δι' ὑμᾶς τοὺς φίλους* Sententiae quoque, quae sunt de luctu (ep. 21), ad Aeschinis dialogum quendam redire possunt.

1) cf. Hirzel, Dialog I, p. 86.

2) De Xenophontis Memorabilibus nonnulla verba afferuntur. Epist. 15 Xenophon dicit se quoque (ut Aeschinem) impellere animum, ut scribat *ἀπολογίαν Σωκράτους* eiusque dicta et facta litteris mandet. Pergit Platonem insectans: *θρυπτόμενος γὰρ πρὸς τοὺς καλούς, φησι μηδὲν εἶναι ποίημα αὐτοῦ, Σωκράτους μέντοι νέου καὶ καλοῦ ὄντος.* cf. etiam ep. 22. Ep. 18 Xenophon dicit: *πεποίημαι δέ τινα ἀπομνημονεύματα Σωκράτους.*

τῶν διαλόγων, ἀναπέμψαι Ὑπισχνούμεθα οὖν ταῦτα ἡμᾶς..., ἀφιξόμεθά τε διὰ ταχέων. Alia autem scripta videmus apud Lucianum (περὶ παρασίτ c. 32): Αἰσχίνης μέντοι ὁ Σωκρατικός, οὗτος ὁ τοὺς μακροὺς καὶ ἀστείους διαλόγους γράψας, ἧκέ ποτε ἐς *Σικελίαν* κομίζων αὐτούς, εἴ πως δύναιτο δι' αὐτῶν γνωσθῆναι Διονυσίῳ τῷ τυράννῳ καὶ τὸν Μιλτιάδην ἀναγνοὺς καὶ δόξας εὐδοκιμηκέναι, λοιπὸν ἐκάθητο ἐν Σικελίᾳ, παρασιτῶν Διονυσίῳ ταῖς Σωκράτους διατριβαῖς ἐρρῶσθαι φράσας et apud Diogenem Laertium legimus II 61 δόντα τέ τινας τῶν διαλόγων δῶρα λαβεῖν (suppl. τὸν Αἰσχίνην). Apud Lucianum si Miltiades dialogus nominatur, certo ex nulla alia causa hoc factum esse arbitror nisi quod hic dialogus primus, ideoque etiam pessime[1]) conscriptus sit, cum Alcibiades dialogus, quem epistolographus affert, postea compositus primum locum obtinuerit. Sane Aeschines tunc iam complura conscripserat atque haec verba ab epistolographo inserta sunt, ut Dionysii benevolum erga philosophum animum demonstrans mentionem faceret itineris eius iterum in Siciliam facti. At haec epistula ut variae quoque eius modi narrationes in fabellae forma redditae[2]) magni momenti non sunt, praesertim cum Plato et Aristippus, quorum uterque Aeschinem commendat Dionysio, saepius commutentur.

17. Platonis Protagoras.

Denique in epistula 17 Platonis dialogus, qui inscribitur Πρωταγόρας, significatur verbis: ἐσχετλίασας, εἰ ὁ πρός σέ γε καὶ τὸν Κεῖον Πρόδικον καὶ Πρωταγόραν τὸν Ἀβδηρίτην διαμαχόμενος περὶ ἀρετῆς, ᾗ ἂν γένοιτο καὶ ὅπως ἂν γένοιτο, καὶ ὅτι χρὴ ταύτης πάντας ἐφίεσθαι, quae summa illius dialogi continetur. — De Isocratis oratione ad Philippum, regem Macedonum,

---

1) cf. Diog. L. II 61: *πρῶτος Μιλτιάδης, διὸ καὶ ἀσθενέστερόν πως ἔχει.*

2) H. Dittmar, Aischines von Sphettos, p. 178. 250. R. Hirzel, Dialog I, p. 134 adn. 2. 138 sq. Th. Gomperz, l. c. p. 172, adn. p. 552. W. Krauß, De Aeschinis Socratici reliquiis, p. 28 sq.

missa, secunda huius dissertationis parte complura verba faciam.

Praeterea multos dialogos vel scripta, si non nominata, attamen verbis et sententiis ipsis notata a scriptoribus epistularum Socraticarum adhibita vel eis nota fuisse affirmare debemus. Non solum Platonis, sed etiam Xenophontis aliorumque librorum loci non pauci reperiuntur; conferas exc. c. epp. 1. 14. 15. 16. 17. Sed quae non extemplo omnibus perspicua sint, ego hoc loco perlustrare conabor.

18. Antisthenis Archelaus.

Epistula prima Socrates ab Archelao, Macedonum rege, rogatus ut ad se ipsum veniret, se non oboediturum esse eloquitur. Hanc epistulam commenticiam esse non est qui neget, quia verba, quibus usus esse dicitur philosophus, vix ab homine quodam adhiberi potuerunt contra regem. Consimilibus de causis etiam quae proferuntur apud Dionem Chrysostomum[1]) aliosque non probabilia sunt. Qua re investigandum est, num Archelaum unquam Socratem ut ad se veniret adhortatum esse infitiemur. Testari autem hoc videtur Aristoteles (Rhet. II 23 p. 1398 Bekker): καὶ δι' ὁ Σωκράτης οὐκ ἔφη βαδίζειν ὡς 'Αρχέλαον· ὕβριν γὰρ ἔφη εἶναι τὸ μὴ δύνασθαι ἀμύνασθαι ὁμοίως εὖ παθόντα ὥσπερ καὶ κακῶς[2]). Ad hoc, ut refert Diogenes Laertius VI 18, dialogus fuit Anthisthenis, qui inscriptus erat 'Αρχέλαος, quo scriptores posteriores atque epistulae Socraticae auctorem[3]) usos esse vero proximum esse videtur. Conspiciamus igitur, quae ratio intercesserit inter hanc epistulam atque dialogum, qui Antistheni adscribitur. Tres sententiae[4]), de

1) orat. XIII 30. I, p. 187 ed. Arnim.

2) Haec ex Antisthenis Archelao sumpta esse suspicatur Hirzel, l. c. I, p. 125 adn.

3) Hanc sententiam divulgavit R. Hirzel, p. 123 sq., postquam iam antea Hermannus Usener (cf. Ferd. Dümmler, Antisthen. p. 10) Antisthenis Archelaum fontem fuisse observavit.

4) cf. Hirzel, qui de hac similitudine uberius disserens epistulae 1 Socr. argumentum, quod ad summam rerum attinet, e cynico dialogo

quibus agitur in illo dialogo, in epistula Socratica nobis occurrunt; primum enim ea, quae pertinent ad Archelaum regem ipsum; deinde verba περὶ βασιλείας non desunt, cf. paragr. 10sq.; denique in dialogo illo Gorgias rhetor illusus est (cf. Athenaei verba V 220 D, Dümmler, Akademika, p. 10sq.), quam ad interpretationem respicere possunt paragr. 1 verba: τὸν οὐδ' ὅλως καλὸν νομίζοντα τοὺς ἐν φιλοσοφίᾳ πιπράσκειν λόγους, quaeque leguntur in paragr. 10 de eis, qui stulte imperium appetunt. Huc accedit, quod ille τόπος cynicus[1]), ex quo intellegitur fabulis doceri divites potentesque summis adfici calamitatibus, reperitur in paragr. 12 epistulae Socr., qua auctor declarat, quam sortem acceperit Bellerophon, quique optime accomodatus esse videtur ad Antisthenis mores; item παρρησία illa, quae § 12 indicatur, ad hunc philosophum referenda est. Fortasse quoque dispositio exstat sermonis in verbis § 5: πρῶτον μὲν οὖν οὐκ ὀρθῶς ὑπέλαβες ... καὶ πρὸς τούτῳ ἐκεῖνο οὐκ ἐλογίσω, ὅτι ἐνταῦθά με πολλὰ κατέχει. Difficillimum autem est determinare, quae ex Archelao, quae ex aliis Socraticorum scriptis deprompserit hic auctor. Certo multa, quae de Socratis cum tyrannis consuetudine eiusque egertate, ut etiam de amicorum familiaritate, quorum divitiis et opibus utens Socrates aliorum carere poterat, ad Archelaum bene referri possunt, sed iam ea de causa, quod alia scripta hac epistula adhibita esse intellegimus — nonnullae sententiae in Platonis vel aliorum Socraticorum libris, ut exempl. c. § 6 τοῦ ἐπεγείροντος ὥσπερ μύωπος e Plat. apol. p. 30 E haustum esse certum videtur — cautius iudicare nos oportet; ac ne illud quidem neglegendum est multas quoque sententias, praecipue in scriptis cynicis, περὶ βασιλείας et ἰδιωτείας contrarias

arcessitum esse censet: actum esse in dialogo hoc, an homo privatus eadem ratione felix esse posset atque rex. — Certo talia verba ab nullo alio nisi a cynico quodam pronuntiata sunt.

1) cf. Ferd. Dümmler, Akademika, p. 1 sq., qui hunc locum afferens s. a. „Gleichnisse von der Weltbühne" iudicat epistolographum, qui sententiam hanc e florilegio quodam haurire potuerit, dialogum ipsum legisse necesse non esse.

propositas fuisse, quae ad epistulam hanc fingendam optime converti potuerint[1]).

19. Aeschinis Telauges.

Epistula 4 de Critobuli, Critonis filii, ingenio auctor disserit haec: Κριτοβούλῳ μὲν ἐντυχὼν παρεκάλουν (i. e. Socrates) πρὸς φιλοσοφίαν αὐτόν, ὃ δέ μοι δοκεῖ διανενοῆσθαι μᾶλλον ἐξορμήσεσθαι πρὸς τὰ πολιτικά. Hinc apparere videtur Critobulum ad philosophiam minus aptum fuisse omnes scivisse, quod Aeschinis Socratici testimonio (apud Athenaeum V 220 A) confirmatur: Αἰσχίνης ὁ Σωκρατικὸς ἐν μὲν τῷ Τηλαύγει Κριτόβουλον τὸν Κρίτωνος ἐπ' ἀμαθίᾳ καὶ ῥυπαρότητι βίου κωμῳδεῖ. Tamen eum in familiarium Socratis numero fuisse multis et Platonis (cf. Euthyd. p. 306) et Xenophontis verbis illustratur, tametsi non propius accessit ad magistri disciplinam. Quae epistula refert de re publica administranda, non amplius persequi possumus, quod nihil constat aliud de hoc viro nisi qua usus sit cum Socrate consuetudine[2]). Sine dubio autem, quod tradit scriptor harum litterarum, non contemnendum est: inspicere potuit vitam quandam vel aliud scriptum hodie perditum, quo de Critobulo in re publica administranda versante verba facta erant. An ad Telaugem Aeschinis dialogum ipsum hoc spectet, quo in libro Socrates de imperitia illius dixerat? Sane non obstat huic sententiae, quominus in philosophiae studio permanserit ille, quam rem testantur varii quos cum Socrate habuit sermones.

20. De incertis dialogis et narratiunculis Socraticis.

Sed etiam alia scripta quae hodie perdita sunt epistolographis nota fuisse videntur. Epistula 17 narratur adulescen-

---

1) Nulla verba de hoc dialogo fecit Obens, cuius iudicium de hac epistula valde quaesitum neque idoneum mihi videtur, cf. l. c., p. 16 sq.

2) Cobet, Prosopogr. Xenophont. 1886, p. 58: Alienissima sunt a Critobuli et Socratis persona, quae scribit auctor ep. Socr. IV.

tem Lacedaemonem Athenas venisse ut Socratem videret, ad sepulcrum philosophi iam mortui appropinquasse, noctem illo loco degisse, Spartam redisse. Cum haec narratio nullo alio loco inveniatur, restat ut vel adiudicemus libro cuidam non servato vel auctorem epistulae, qui noverat fabulas consimiles, ipsum eam finxisse opinemur. Complura tradita sunt huius modi exempla, quae docent peregrinos ut Socratem viderent Athenas se contulisse: refert enim Diogenes Laertius (VI 3. 9. 10) Ponticos iuvenes Athenas venisse, et apud Libanium (apol. Socr. § 174 ed. Foerster) legimus: ὅταν οἱ ξένοι καταπλέωσι μὲν ὡς συνεσόμενοι ἀνδρί, τεθνεῶτα δὲ εὑρόντες ζητῶσι τὸν τάφον[1]). Simillimam invenimus relationem[2]) apud Suidam s. v. Σωκράτης I, qua eadem res narratur de Cyrsa quodam in Chio insula nato: Κυρσᾶς δέ τις ὄνομα, Χῖος τὸ γένος, ὡς συνεσόμενος ἦλθε Σωκράτει · ᾧ κακευδήσαντι παρὰ τὸν τάφον ὄναρ ὀφθεὶς ὡμίλησεν · καὶ εὐθὺς ἐκεῖνος ἀπέπλευσε, τοῦτο μόνον ἀπολαύσας τοῦ φιλοσόφου[3]), ex quo elucet epistolographum scriptum quoddam cognosse, in quo Socrates, quantum valuerit mortuus, sermo habitus sit. Dittmar (p. 64) hoc fictum esse non illis temporibus, sed Heraclidis Pontici aetate statuit; mea quoque sententia auctor eodem modo quo certiores nos fecit de accusatoribus puniendis[4]), haec invenit in libro posteriore aetate conscripto, qui ex antiquiore fonte hauserit. Obens (l. c. p. 28) nil nisi narratiunculam hanc esse fabulam habet, ac si putat Socrati illis diebus monumentum nondum factum esse, summam rei non intellexit: neque enim imaginem

1) Dittmar, Aischines v. Sphettos, p. 63, adn. 4 conicit Libanium haec verba deprompsisse e libro Lysiae, qui titulum prae se fert *ἀπολογία Σωκράτους*.

2) Cetera exempla composuit Dittmar, l. c., p. 62 sq. („Eine verschollene Sokratesdichtung").

3) Hoc dicendi genus non solum ad Socratem, sed ad alios quoque accomodatum esse testantur varia exempla, ut Gaditani cuiusdam apud Plinium ep. II 38 ed. Keil.

4) Commemoro Diogenem Laertium referre Ponticos iuvenes Athenas venisse eodem tempore quo accusatores Socratis puniti sunt.

vidit iuvenis, sed somnians Socratem ipsum. Praeter hoc statuere mihi liceat tales narrationes primum repertas esse in oratione quadam, qua Socrates defendebatur, nisi forte in dialogo Socratico ipso. Suidam ad eandem fabulam, qua usus sit epistulae Socraticae auctor, redisse arbitrer.

Nunc explicabimus ab epistulae 1 Socr. auctore conversum esse fontem, qui spectat ad Socraticum illud daemonium suadens apud Delium ut aliam ingrederetur viam[1]). Haec narratiuncula cum eadem ratione non confirmetur, maxima observatione digna esse videtur. Testimonia veterum, quae Orellius aliique non invenerant, exstant praeter Ciceronis, quae iam Allatius attulit, in Plutarchi dialogo, qui est de genio Socratis, ubi daemonium intercessisse in pugna Deliensi refertur. Legimus in capite 11 (Moral. p. 581 DE) haec: Ἀκούω δὲ καὶ τὴν ἐν Σικελίᾳ τῆς Ἀθηναίων δυνάμεως φθορὰν προειπεῖν αὐτὸν ἐνίοις τῶν φίλων· καὶ πρότερον ἔτι τούτων Πυριλάμπης ὁ Ἀντιφῶντος ἁλοὺς ἐν τῇ διώξει περὶ Δήλιον ὑφ᾽ ἡμῶν δορατίῳ τετρωμένος, ὡς ἤκουσε τῶν ἐπὶ τὰς σπονδὰς ἀφικομένων Ἀθήνηθεν, ὅτι Σωκράτης μετ᾽ Ἀλκιβιάδου καὶ Λάχητος ἐπὶ Ῥηγίστης καταβὰς ἀπονενοστήκοι, πολλὰ μὲν τοῦτον ἀνεκαλέσατο, πολλὰ δὲ φίλους τινὰς καὶ λοχίτας, οἷς συνέβη μετ᾽ αὐτοῦ παρὰ τὴν Πάρνηθα φεύγουσιν ὑπὸ τῶν ἡμετέρων ἱππέων ἀποθανεῖν, ὡς τοῦ Σωκράτους δαιμονίου παρακούσαντας, ἑτέραν ὁδόν, οὐχ ἣν ἐκεῖνος ἦγε, τρεπομένους ἀπὸ τῆς μάχης. Plutarchum in narranda hac re hausisse ex epistula Socratis, haud scio an ostendi possit, sed etiam epistolographum Plutarchi verba ad usum suum convertisse probabile non est. Qua re investigare nos oportet, num uterque ex eodem fonte hauserit.

Praeterea alia Plutarchi verba (de genio Socratis c. 10 p. 580 E) meo quidem arbitratu praetermittenda non sunt, quae multa similia complectuntur. Verba sunt haec: οἱ μὲν οὖν πολλοὶ συνανέστρεφον· νεανίσκοι δέ τινες τὴν εὐθεῖαν βαδίζοντες, ὡς δὴ τὸ Σωκράτους ἐλέγξοντες δαιμόνιον..., cum epistologra-

1) De daemonio Socratico cf. Überweg-Praechter, Gesch. d. Philos. I¹⁰, p. 43.

phus haec verba adhibuerit: οἱ μὲν οὖν πλείους πρὸς ὀργὴν .... ὁρμήσαντες, εὐθεῖαν ἐβάδιζον, ὀλίγοι δέ τινες ἐπείσθησαν καὶ τὴν ἐναντίαν ἐμοὶ συναπετράποντο. — Perspicuum est ea narratione, quae spectat ad pugnam Deliensem, idem narratum esse atque hac epistula, sed copiosius etiam nonnullis viris nominatim adductis. Itaque constare videtur daemonium hoc apud Delium occurrens non ignotum atque in libro quodam tractatum fuisse. Fortasse et Plutarchus et epistolographus eandem narrationem invenerant in scripto quodam Socratico hodie perdito, qua in re alter nomina et loca, alter rem ipsam exceperat. Itidem quoque fieri potuit, ut sequerentur auctores, qui haud multum inter se differebant. Simillima tradit Cicero in libro primo de divinatione c. 54, qui partim quod Plutarchus, commemorat, partim omittit, cum idem dicat atque varia huius epistulae verba — unde apparet imitatorem ex graeco exemplari latine vertisse. Praecipue afferenda sunt Ciceronis verba „ut ventum est in trivio, eadem qua ceteri, fugere noluit: quibus quaerentibus cur non eadem via pergeret, deterreri se a Deo dixit. Tum quidem hi, qui alia via fugerant, in hostium equitatum inciderunt" ad epistulae Socr. 1: ‹ἐν δὲ τῇ φυγῇ ἅμα πολλοὶ ὑπαπήειμεν, καὶ ὡς ἐπὶ διαβάσεώς τινος ἐγενόμεθα, συνέβη μοι τὸ εἰωθὸς σημεῖον. ἐνέστην οὖν καὶ εἶπον · „ἄνδρες, οὔ μοι δοκεῖ ταύτην πορεύεσθαι · τοῦ γὰρ δαιμονίου μου ἡ φωνὴ γέγονεν .... εἰς γὰρ τοὺς ἱππίας ἐμπεσεῖν τῶν πολεμίων ἐπανιόντας ἀπὸ τῆς διώξεως. Proinde si conferimus hos tres locos, statuere possumus Ciceronis verba, etiamsi breviter comprehendit, quadrare ad epistulae Socratis; quamquam hoc loco complura verba facta sunt de eo, qui solus mortem non subierat, tamen nil obstat, quominus Ciceronis fontem eundem fuisse atque epistulae auctoris certo affirmemus. Plutarchi quidem verba cum epistulae 1 Socr. minus congruunt, sed referunt plura de aliquo eorum, qui Socratem non secuti erant.

Plut. Moral. p. 581 D

Πυριλάμπης ὁ Ἀντιφῶντος ἁλοὺς ἐν τῇ διώξει περὶ Δήλιον ὑφ' ἡμῶν δορατίῳ τετρωμένος, ὡς ἤκουσε, ὅτι Σωκράτης μετ' Ἀλκιβιάδου καὶ Λάχητος ἐπὶ Ῥηγίστης καταβὰς ἀπονενοστήκοι, πολλὰ μὲν τοῦτον ἀνεκαλέσατο, πολλὰ δὲ φίλους τινὰς καὶ λοχίτας, οἷς συνέβη μετ' αὐτοῦ παρὰ τὴν Πάρνηθα φεύγουσιν ὑπὸ τῶν ἡμετέρων ἱππέων ἀποθανεῖν, ὡς τοῦ Σωκράτους δαιμονίου παρακούσαντας, ἑτέραν ὁδὸν, οὐχ ἣν ἐκεῖνος ἦγε, τρεπομένους ἀπὸ τῆς μάχης.

ep. Socr. 1, paragr. 9 (Herch. p. 611,7 sq.)

οἱ μὲν οὖν πλείους πρὸς ὀργὴν ὡσπερεὶ παίζοντος ἐμοῦ ἐν οὐκ ἐπιτηδείῳ καιρῷ ὁρμήσαντες εὐθεῖαν ἐβάδιζον, ὀλίγοι δέ τινες ἐπείσθησαν καὶ τὴν ἐναντίαν ἐμοὶ συναπετράποντο ... καὶ οἴκαδε πορευόμενοι διεσώθησαν, τοὺς δ' ἄλλους ἤκων τις ἐξ αὐτῶν πάντας ἔφη ἀπολωλέναι· εἰς γὰρ τοὺς ἱππέας ἐμπεσεῖν τῶν πολεμίων ἐπανιόντας ἀπὸ τῆς διώξεως, ... πάντας ἀπολέσθαι, αὐτὸς δὲ ὁ ταῦτα ἀπαγγέλων τραυματίας ἀφῖκτο, μόνην τὴν ἀσπίδα σώζων.

Praeterea idem tractatur, conferas velim Plutarchi verba ἀπὸ τῶν ἡμετέρων ἱππέων ἀποθανεῖν, ὡς τοῦ Σωκράτους δαιμονίου παρακούσαντας, ἑτέραν ὁδὸν, οὐχ ἣν ἐκεῖνος ἦγε ... neque vero neglegendum mihi videtur in verbis quae antecedunt (c. 10) epistulae Socratis verba iam adhibita fuisse: οἱ μὲν οὖν πολλοὶ συνανέστρεφον ..... et Plutarchum illo loco non eisdem verbis uti voluisse. Denique quod non discrepant Plutarchus et Cicero, quod ad verba de Lachete facta attinet, conicere possumus hos tres eundem fontem secutos esse, qua in re et epistulae huius auctor et Plutarchus aliis etiam arcessitis auctoribus narrationem exornaverint, si non accipimus, quae traduntur de fuga illa, exstitisse in Socraticorum dialogis[1]) vel Socratis vitis hodie noniam servatis[2]).

1) Hirzel, Dialog, I. p. 125, narrationem, qua Socratem apud Delium fortiter pugnasse demonstratur, Archelao Antisthenis dialogo adiudicare vult.

2) Obens iudicat p. 16: Cum Ciceronem ex libris Antipatri hausisse inter viros doctos constet, verisimillimum est scriptorem ipsum illum auctorem secutum esse.

Epistulae 14 extrema fere verba ad eandem sententiam adducunt, ut dialogus a Socratico quodam philosopho conscriptus adhibitus sit. Ut iam dixi, hac epistula non unum tantum dialogum conversum, sed complures collatos esse a vero non abhorret. Iam antiquis temporibus de vita Socratis sermonibusque, quibus interfuerat, imprimis quos supremis diebus habuit, non unus atque idem erat auctor, sed multi et diversi, quorum alter, ut Plato, haec, alii alia tradiderunt[1]). Pari modo de personis quibuscum collocutus erat Socrates ad quosque verba fecerat aliquot, certum dici non poterat, quia non omnia quae confecerat magister accuratissime et diligenter memoria servari potuerunt. Etiam in hac epistula multa occurrunt, quae alibi frustra quaeras atque deposita cogites apud auctorem quendam hodie perditum. Variae sententiae[2]) ad quos auctores spectent, non nihil nescimus, conferas ex. c. verba paragr. 6: νῦν γὰρ θάνε 'Ολύμπια aliaque[3]).

21. Platonis Phaedo et Phaedrus; Charicles.

In paragrapho 9 auctor de gallo Aesculapio deo sacrificando haec tradit verba Socratis: ὡς δὲ ἔπιεν τὸ φάρμακον, ἐπέστελλεν ἡμῖν τῷ 'Ασκληπιῷ θῦσαι ἀλεκτρύονα· ὀφείλειν γὰρ αὐτῷ κατ' εὐχήν τινα, ὁπότε ἠσθένει ἀφικόμενος ἀπὸ τῆς ἐν Δηλίῳ μάχης. Quae verba declarare illum Platonis Phaedonis non ignotum locum p. 118 A facile intellegitur, quo legimus: Ὦ Κρίτων, ἔφη (Socrates), τῷ 'Ασκληπιῷ ὀφείλομεν ἀλεκτρύονα· ἀλλ' ἀπόδοτε καὶ μὴ ἀμελήσετε. Cum Plato ut efferret verba antecedentia, cur Socrates Aesculapio sacrificasset, accuratius non explicaverit, scriptores posteriores

1) cf. Hirzel, Dialog I, p. 193 sq.

2) Ad Critonem spectant verba *ἐπιλαβόμενος ἂν Κρίτωνα*, cum verba quae sequuntur ad Cebetem et Simmiam facta ad Platonis Phaedonem redire apertum sit.

3) Pro his verbis J. Casp. Orellius (Memnonis historiarum Heracleae Ponti excerpta, Lips. 1816, p. 328) legere vult: „*νῦν γὰρ θαλία καὶ 'Ολύμπια* vel etiam vocabulo auctius *νῦν γὰρ θαλία ἄγεται καὶ 'Ολύμπια*, ut personatus ille Xenophon ep. 18: *θαλίας ἄγωμεν*."

vario modo hunc locum interpretari conati sunt. Nam legimus apud Theodoretum (serm. VII de sacrificiis § 47, p. 109; p. 193 Raeder)[1]: ἐγὼ δὲ οἶμαι καὶ Σωκράτην τὸν Σωφρονίσκου τὸν ἀλεκτρύονα θῦσαι κελεῦσαι, ἵνα τὴν κατ' αὐτοῦ γεγενημένην διελέγξῃ γραφήν · ἐγραψάτην γὰρ αὐτὸν Ἄνυτος καὶ Μέλητος, ὡς εἶναι θεοὺς οὐ νομίζοντα et apud Tertullianum (apologet. c. 46)[2]: „Aesculapio tamen gallinaceum prosecari iam in fine iubebat, credo ob honorem patrem eius, qui Socratem Apollo sapientissimum cecinit.› Praeter hos locos iam ab Orellio adductos[3]) verba quoque Olympiodori philosophi (Commentaria in Platonis Phaedonem, ed. W. Norvin, Lips. 1913) arcessam (p. 205,34): Διὰ τί τῷ Ἀσκληπιῷ τὸν ἀλεκτρυόνα ἀποδίδωσιν; ἢ ἵνα τὰ νενοσηκότα τῆς ψυχῆς ἐν τῇ γενέσει ταῦτα ἐξιάσηται · μήποτε δὲ κατὰ τὸ λόγιον καὶ αὐτὸς τὸν παιᾶνα ᾄδων βούλεται ἀναδραμεῖν εἰς τὰς οἰκείας ἀρχάς et p. 244,17: Διὰ τί ὀφείλειν ἔφη τῷ Ἀσκληπιῷ τὴν θυσίαν καὶ τοῦτο τελευταῖον ἐφθέγξατο· καίτοι, εἰ ὤφειλεν, ἐπιστρεφὴς ὢν ἀνὴρ οὐκ ἂν ἐπελάθετο; ἢ ὅτι Παιωνίου δεῖται προνοίας ἡ ψυχή, ἀπαλλοτομένη τῶν πολλῶν πόνων · διὸ καὶ τὸ λόγιόν φησι, τὰς ψυχὰς ἀναγομένας τὸν παιᾶνα ᾄδειν. Verba quae affert auctor epistulae Socraticae, alio loco non audimus. Immo vero censeo neque quod Theodoretus neque quod Tertullianus et Olympiodorus dicunt, ad locum melius intellegendum quicquam attulisse[4]). Meo sensu tantummodo restat, ut arbitremur Socratem sacrificasse Aesculapio ut „deo medenti", quae notio ambigua esse vix potest[5]). Probabile

1) Theodoreti graecarum affectionum curatio. Rec. Joannes Raeder. Lips. 1904.

2) Tertulliani opera rec. Fr. Oehler, p. 141.

3) p. 218. — Obens dicit p. 26: „Quis est tam stultus, ut putare possit Aeschinem tantas ineptias scripsisse neque novisse veram causam galli sacrificandi, cum ipse amicissimus magistri fuerit." Quae verba inania! Epistulam non veram esse facile quisque iam ante intellexit, sed quam scientiam attulisset auctor, demonstrari atque investigari necesse erat.

4) Etiam Joël, l. c. II, 1, p. 251, qui cynicorum rationem tribuit his verbis, erravisse videtur.

5) vid. Hirzel, Dialog I, p. 195.

videtur auctorem epistulae dicta quaedam legisse, quae pertinebant ad proelium apud Delium commissum vel ad Socratem moribundum in dialogo Socratico non servato. Fortasse epistolographus ut ceteri quoque interpretes Platonis locum legerat atque alio arcessito auctore verba declarare sibi proposuerat[1]).

In epistula 27 Phaedrus occurrit, quem fabula discipulum Platonis carissimum reddidit[2]). Quae narrantur hac epistula, post Socratis mortem scripta finguntur eodem tempore quo Plato in regionibus peregrinis versatus esse dicitur. Patet epistolographum nosse, quae Phaedrus[3]) ipse in Platonis dialogo, qui inscribitur eius nomine, de iuventute, loco sacro, Academia, Lyceo, Ilisso, platano eloquitur. De Phaedri cum Lysia consuetudine cum nonnulla comperiamus — p. 227 Phaedrum sectatum esse atque suspexisse Lysiam refertur (cf. etiam Lucian. amores c. 24. 31) — nescimus quae lateant in verbis καὶ ἦν ἐπίφθονος Ἀλκιβιάδῃ τε τοῦ Κλεινίου καί τισιν ἄλλοις τῶν νέων. Obensius (l. c. p. 29) falso animadvertit Phaedrum una cum Lysia et Alcibiade, qui sibi invidissent, in Lyceo et in Academia fuisse; in epistula enim nil aliud dicitur nisi Lysiam ὑπὸ τῇ θείᾳ πλατάνῳ commentarios suos de amore correxisse, qua re non declaratur Phaedrum tunc sermonibus interfuisse. Praeter id non legitur Phaedrum una cum Alcibiade versatum esse in Lyceo et in Academia; quo tempore ille cum Alcibiade consuetudinem egerit, haud scimus; sed id etiam prioribus evenisse temporibus vero proximum est.

---

1) Quo modo haec narratio exornata sit ab eis, qui vitas composuerunt, demonstrat locus, quem invenimus apud Teletem (Croenert, Kol. u. Mened. p. 42) 12_{3}: *καὶ τὸ τελευταῖον ἀποκοτταβίσας „τουτὶ δέ," φησίν, „Ἀλκιβιάδηι τῶι καλῶι,"* quae verba spectare videntur ad Xenoph. Hell. II, 3,56, ubi de Theramene dicitur: *ἐπείγε ἀποθνήσκειν ἀναγκαζόμενος τὸ κώνειον ἔπιε, τὸ λειπόμενον ἔφασαν ἀποκοτταβίσαντα εἰπεῖν αὐτόν· „Κριτίᾳ τοῦτ' ἔστω τῷ καλῷ."*

2) cf. Diog. L. III 29. 31.

3) De Phaedro Myrrhinusio vid. Kirchner, Prosop. Attic. II. s. n. 13960.

Denique Lysiam ei invidisse non audimus, praesertim cum notum sit illum amasse Phaedrum (cf. Lucian. amores c. 24); neque vero Alcibiadem Phaedro invidisse constat, at optime cogitari potest, quia Phaedrum philosophiae praecepta melius secutum esse quam Alcibiadem quisque non ignorat[1]). Fortasse in dialogo quodam, quo Alcibiades partem egit, ut in Aeschinis Socratici dialogis, quos ante commemoravi, compluribusque aliis, quae ratio intercessisset Phaedro cum Alcibiade, communicatum atque iactatum est.

In epistula 7 mentio fit Chariclis cuiusdam, de quo nulla verba fecit Obensius; attamen quae arcessimus ex hac epistula, minime omittenda esse videntur. Omnia enim, quae audimus de hoc viro, optime quadrant ad ea, quae tradunt ceteri scriptores veteres. Xenophon (Hellen. II, 3,2) refert illum in triginta virorum numero fuisse anno 404, atque quod Socrati hoc loco obsistens inducitur, eum non exigua auctoritate fuisse verisimillimum est. Quod reliquum est, hic sermo spectat, ut mihi videtur, ad dialogum quendam, in quo Socrates ipse haec verba fecit. Similia — Charicle non inducto — invenimus apud Platonem (apol. Socr. p. 32 CD), ubi legimus: Τότε μέντοι ἐγὼ οὐ λόγῳ, ἀλλ' ἔργῳ, αὖ ἐνεδειξάμην, ὅτι ἐμοὶ μὲν θανάτου μέλει, εἰ μὴ ἀγροικότερον ἦν εἰπεῖν, οὐδ' ὁτιοῦν τοῦ δὲ μηδὲν ἄδικον, μηδ' ἀνόσιον ἐργάζεσθαι, τούτου δὲ τὸ πᾶν μέλει · ἐμὲ γὰρ ἐκείνη ἡ ἀρχὴ οὐκ ἐπέπληξεν οὕτως ἰσχυρὰ οὖσα, ὥστε ἄδικόν τι ἐργάζεσθαι. cf. epist. 7: „‹ἤπου οὐδὲν, ὦ Σώκρατες, ἔφη (i. e. Charicles), ἡγῇ κακὸν δύνασθαι παθεῖν, οὕτως αὐθαδῶς διαλεγόμενος. κἀγὼ, μυρία μὲν οὖν νὴ Δία, ὦ Χαρίκλεις, οὐ μέντοι τοσοῦτό γε οὐδὲν, ὁπηλίκον εἰ ἀδικήσω[2]). Omnino hae duae narrationes complura quae conferenda sint continent, sed etiam alia discimus, ut conicere liceat varias atque diversas fuisse relationes. Nam Dio Chrysostomus refert (or. XLIII: πολιτικὸς ἐν τῇ πατρίδι, II p. 65 Arnim): τοῖς τυράννοις ἀντικρὺς ἐλοιδορεῖτο, λέγων ὁμοίους εἶναι

1) In dialogo eo, qui inscribitur Ἀλκιβιάδης atque falso Platoni attribuitur, ille ipse confitetur se fuisse ἀμαθής.

2) Obens (p. 18) nonnulla composuit, sed sermonem ipsum omisit.

τοῖς πονηροῖς βουκόλοις, οἱ παραλαβόντες ἰσχυρὰς τὰς βοῦς καὶ πολλάς, ὀλίγας καὶ ἀσθενεστέρας ποιοῦσιν; inde apertum est hoc loco non adhibitum esse Platonis librum. Proinde si hac epistula personam Chariclis valde indignati (ἰδίᾳ ἀγανακτήσας) commemoratam invenimus, hunc auctorem alium fontem inspexisse vel nosse concludere possumus, sive verba quaedam de Charicle illa aetate iudicio praesidente sive dialogum, quo Socratis causa dicebatur.

Epistulam 14 maxima ex parte excerptam esse ex Platonis Phaedone nemo iam negabit. Attamen — conferas quaeso, quae supra diximus (pag. 47) — nonnulla in dialogo illo non reperiuntur, ut quae leguntur in paragrapho secunda, illic frustra quaeras. Verba sunt haec: ἦν μὲν γὰρ ἡ ῥίζα τῆς γραφῆς Ἄνυτος δι' ὧν Σωκράτης ἔλεγεν αὐτὸς ἐν τοῖς νέοις ἄρρητα εἶναι τὰ περὶ βύρσας, ὁπότε διαλέγοιτο καὶ κατασκευάζοι περὶ τοῦ ἐπιστήμην ἔχοντας προσιέναι τούτοις τοῖς πράγμασιν οἷς προσίασιν. οὕτως οἱ ἐπαγγελλόμενοι ὁτιοῦν πράττειν** ἀκούομεν τὸν μαθόντα τὰ ἰατρικὰ καὶ τὰ μουσικὰ Δάμωνά τε καὶ Κόννον τὸν Μητροβίου. οὐ γὰρ ᾔδεῖτο, οἶμαι, ὡς μὴ ἐργασάμενος αὐτά, ὁπόταν οἱ υἱεῖς αὐτοῦ ἀκροασάμενοι Σωκράτους** ἄχρι νῦν οὔτε τὸ βῆμα αὐτὸν τρέφειν** οὐ κατατετόλμηται** καὶ δὴ ἐξηρτήσατο ἑαυτοῦ ἄλλην τέχνην** κἂν πολλάκις περικρύπτηται περιθέμενος τὴν Ἅιδου κυνῆν ἢ τὸν Γύγου δακτύλιον καὶ δίκας γράφηται τοῖς ἐν τῇ πόλει· ζῇ γὰρ ἀπὸ βυρσοδεψικῆς. Ad eandem rem spectant etiam aliae narrationes[1]), ut scholion quoddam ad Platonis apol. 18 B, Xenophont. apol. Socr. 29 sq., Dio Chrysostomus or. 55 fin., Libanius apol. Socr. (ed. Foerster) V, p. 28 sq., quo loco atque in epistula Socratica Socrates inducitur Anyto quaerenti, ad quem adeat ad virtutem perdiscendam, suadens, ut is qui discere velit aliquid, adeat ad eos, qui illam opinionem confiteantur. Quem ad locum pertineant verba epistulae, certo dicere non possumus. Scholiasta ad Platonis apologiam cum indicet auctorem

1) Omnes locos composuit Dittmar, Aisch. v. Sphettos, qui p. 91 sq. (Ein Anytos-Sokratesgespräch) uberius disserit de sermone, quem habuerit Socrates cum irato Anyto.

et fontem antiquissimum Lysiae apologiam Socratis, Dionis Chrysostomi verba ad dialogum potius quendam spectare videntur. Qua de causa vero propius est nos debere haec verba Antistheni, quoniam Xenophontem ab illo pependisse scimus, utrum autem illius dialogo qui inscribitur Κῦρος[1]) vel ei, qui titulum prae se tulit Ἀλκιβιάδης[2]), addicamus, ad quos dialogos redire videntur verba Ἀλκιβιάδου ἐραστής scholiastae ad Plat. apol., an dialogo, qui inscriptus est Πολιτικός, in quo illudebantur demagogi[3]), in ambiguo relinquemus.

Non modo Antisthenis librorum reliquias, sed etiam Aeschinis Socratici reperimus in his epistulis. Ex dialogorum Aeschinis numero Καλλίας miris laudibus praedicatur. Pro experto habemus hoc dialogo illustrari, quae commoda habeat paupertas collata cum divitiarum, cf. Plut. Aristid. c. 25[4]). Eandem sententiam perscrutatus est, qui epistulam 6 Socr. conscripserit. Praecipue verbis paragr. 6 et 7[5]) haec confirmantur, ubi paupertas laudatur atque de calamitate eorum, qui in adulatorum manus inciderunt, omnino de blanditoribus, quos sophistas intellegi probabile est (cf. Eupolis Κόλακες), verba facta sunt. In Aeschinis Callia itidem in adulatores invehitur[6]). Qua de re argumentum epistulae Socr. auctorem

---

1) Dittmar, l. c., p. 97.

2) cf. Dittmar, p. 96.

3) vid. Th. Gomperz, Griech. Denker, p. 78, qui haud magni aestimat quod profert Xenophon de Socratis cum Anyto consuetudine (apol. Socr. § 29); Dittmar, p. 171 et Diog. L. II 28: *τουτὶ τὸ κακὸν* (sc. *ἡ ἀνυποδησία*) *τῶν σκυτοτόμων κατ' ἐπήρειαν γεγένηται.*

4) Quae nobis nota sunt de hoc dialogo, invenies in collectione reliquiarum Aeschinis Socratici (edidd. W. Krauß et nuper Dittmar, l. c., (quorum uterque de epistula Socr. paucis vel pluribus verbis disputavit). — vid. Rud. Hirzel, Dialog, p. 135,2.

5) Quae leguntur in paragr. 7 vel similia Hipponicum dicere potuisse opinatur R. Hirzel, p. 135, adn. 2.

6) Longe disserit de Calliae argumento Dittmar, p. 186 sq. 284 sq., imprimis p. 203 sq. Quid commune haberent inter se epistula Socr. et Aeschinis dialogus et Xenophont. Memorab. cap. I. 6, disposuit p. 194 sq. (cf. pag. 284 sq., ubi omnes qui similes inveniuntur locos

magna ex parte petisse ex Aeschinis dialogo conicere licet. Sane haec restat quaestio, num epistulae auctor ad Aeschinis dialogum ipsum ut fontem spectaverit eoque usus sit. In sexto enim Xenophontis Memorabilium libri primi capite eandem dispositionem sententiarumque consensum reperimus, ut Xenophontis verba, quae arcessita sunt ex Aeschinis dialogo, fontem fuisse epistulae Socr. comprobandum sit.

Hoc unum autem respiciendum est, ut mihi videtur: perquiri oportet, num Telauges Aeschinis dialogus[1]) ipse notus fuerit epistolographo, quo variae egestatis rationes pertractabantur atque ut in aliis philosophi huius dialogis de divitiis sermo habebatur. Fortasse quoque in cynicis epistulis de his rebus disputabatur, praesertim cum, ut in hoc dialogo opponuntur Critobulus et Telauges, in Phaedonis dialogo, qui inscribitur *Σίμων*, sutor et Socrates inter se pugnaverint[2]).

22. De testamentis et epistulis suppositis.

Praeterea in Socraticarum epistularum numero inveniuntur eae, quae epistulae forma consignatae testamentum et orationem aliquam proferant. Proposuerant igitur epistolographi testamentum vel orationem fingere simillimam clarissimi viri, cui non solum varia quae ad vitam moresque eius et familiaritatem pertinebant, admiscerent, sed etiam de doctrina, schola, successoribus eiusdem verba facerent. Cuius rationis exempla nobis praebent epistulae 1. 29. 30. 31. 32. 33. 35. 36.

Ac primum quidem contemplemur epistulam Socr. 29[3]), cui suppositum est testamentum Aristippi, philosophi Cyrenaï-

---

conposuit). Quo modo orta sit epistula, Dittmar explicat p. 210, adn. 77: Die Entstehung des Briefes ist ganz analog der, die sich für den Alkib. I feststellen ließ: in die Vorlage wird ein Stück eingearbeitet, für das der Dialog *Καλλίας*, nach dem Xenophon das Memorabilienkapitel gestaltet hatte, Quelle war.

1) cf. Krauß, l. c. p. 105 sq. p. 52. Dittmar, p. 213—244.

2) Etiam hoc loco Obens nihil dicit de dialogo quodam cognito vel converso, cf. pag. 9. 12. 17.

3) Epistulam spuriam esse iam Bentleius demonstravit, vid. Bentley-Ribbeck, l. c., p. 551.

ci, quid novi comperiamus de illo quod commemoravi epistolographorum proposito. Apud Diogenem Laertium citatur epistula Aristippi ad Areten filiam missa[1]), cuius verba cum epistulae Socraticae optime consentiunt, qua ex re non ambiguum esse potest, quin uterque auctor ad eundem fontem redeat. Epistula Socratica num ad testamentum Aristippi non falsum spectaverit, discernere non possumus, sed etiam hoc modo de testamentis multa quae notabilia sint, accipimus.

De testamentis antiquis temporibus conscriptis haud multa constant[2]): tradita sunt nonnulla, ut Platonis, Aristotelis, Epicuri, Stratonis, aliorum. Iam prius demonstratum est illa temporum decursu aliud atque verbosius argumentum complexa esse, ut hodie noverimus posterioribus demum temporibus philosophiam ut hereditatem commendatam esse heredesque simul, ut philosophiam colerent, monitos fuisse; sed iam in Theophrasti testamento nonnulla sunt, quae spectant ad scholam, cui tribuatur, et philosophiam ipsam: τὸν δὲ κῆπον καὶ τὸν περίπατον .. ὅπως ὅτι μάλιστα προαχθῇ κατὰ φιλοσοφίαν, cum in Stratonis testamentaria voluntate (p. 224 Bruns) primo dicatur, qui scholam suscipiat regendam: καταλείπω δὲ τὴν μὲν διατριβὴν Λύκωνι, ἐπειδὴ τῶν ἄλλων οἱ μέν εἰσι πρεσβύτεροι, οἱ δὲ ἄσχολοι. . .[3]).

Guilelmus Croenert (Kolot. u. Mened. p. 86 sq. adn. 426) epistulam hanc Socraticam, qua Aristippus commutatus esset

---

1) Diog. L. II 72: *τὰ ἄριστα ὑπετίθετο τῇ θυγατρὶ Ἀρήτῃ, συνασκῶν αὐτὴν ὑπεροπτικὴν τοῦ πλείονος εἶναι,* quae verba respondent epistulae Socrat. § 2: *ὑποτίθεμαι δέ σοι τὰ πρὸς ἄρχοντας οἰκονομεῖν . . . τοῦτο δ' ἦν μὴ τοῦ πλείονος ὀριγνᾶσθαι.*

2) vid. Fr. Bruck, Schenkung auf den Todesfall (1909), p. 102 sq. C. G. Bruns, Kleine Schriften II 1880, p. 192 sq.: Die Testamente der griech. Philosophen. H. Diels, Philos. Aufs. 1887: Über die ältesten Philosophenschulen d. Griechen, p. 239; Parmenides, p. 152.

3) Maxime observandum est, quod Croenert (Wessely, Stud. zur Paläographie n. Papyruskunde VI (1906) 84 sq.) profert de papyro 1780, quae amplectitur symbola minime neglegenda ad testamenta accuratius illustranda atque percipienda.

cum Epicuro[1]), conscriptam esse ca. annum 200 a. Chr. nat., Hermippi aetate, concludit, sed posteriori aetati eam tribuendam esse Obensius probabiliter statuit[2]). Eodem libro, quem citavi, Croenert ostendit omnes sententias et notas, quae testamentis consignabantur, in hac epistula reperiri. Mihi liceat hoc loco ad ea, quae composuit, adicere quae similia contemplanda sint. Afferenda videtur sententia Epicuri frg. 217 Usener, ut etiam, quod Aristotelis designatur testamento (p. 202 Bruns, Diog. L. V 11): εἶναι δὲ καὶ Ἀμβρακίδα ἐλευθέραν, καὶ δοῦναι αὐτῇ, ὅταν ἡ παῖς ἐκδοθῇ, πεντακοσίας δραχμὰς καὶ τὴν παιδίσκην, ἣν ἔχει ad epist. Socr. §2 περὶ ὧν δὲ ἔκρινας τίνα ἕξεις τιμὴν ὑπ' ἐμοῦ ἠλευθερωμένους, οἳ καὶ ἔλεγον Ἀριστίππου μὴ ἀποχωρήσειν ... περιέσται γὰρ αὐτοῖς ἐκ τῆς ἐμῆς βιοτῆς μὴ εἶναι κακοῖς. Ad textum emendandum ἤδη ἐλευθέρους conferas velim verba, quae leguntur in Theophrasti testamentaria voluntate (p. 213 Bruns): τῶν δὲ παίδων Μόλωνα μὲν καὶ Τίμωνα καὶ Παρμένοντα, ἤδη ἐλευθέρους, ἀφίημι. Constare igitur videtur epistulae Socrat. auctorem Epicuri testamentum novisse — ceterum Aristippum testamentariam voluntatem composuisse a vero non abhorret — neque negari potest illum ad epistulam hanc conscribendam etiam alia testamenta convertisse; quin etiam quippe de familia et philosophia certiores nos fecerit, epistolographum Aristippi testamentum non spurium adhibuisse probabile videtur.

Eodem iure perquirendum est, num epistulis 32 sq. testamentum quoddam subditum fuerit. Legimus in ep. 32 haec: σὲ περὶ πλείονος ποιούμενος (sc. Plato), τελευτῶν τὸν βίον ἐμαρτύρησεν. ἐπέσκηψε γὰρ πᾶσιν ἡμῖν τοῖς οἰκείοις, ἄν τι πάθῃς, πρὸς ἑαυτὸν θεῖναί σε. Haec verba si minus ex Platonis ipsius testamentaria voluntate profecta sunt, tamen testari videntur epistulae auctorem testamentum aliquod inspexisse, praeser-

1) p. 86: Das Testament des Theophrast (1288) hat deutlich auf das des Epikur (1270) eingewirkt und dem Aristippos ist schon in alter Zeit ein Testament in Briefform untergeschoben worden.

2) cf. quae animadvertit Obens pgg. 54. 56.

tim cum similia inveniantur verba in testamento eo, quod Aristoteli attribuitur (Diog. L. V 11 ὅπου δ' ἂν ποιῶνται τὴν ταφήν, ἐνταῦθα καὶ τὰ Πυθιάδος ὀστᾶ ἀνελόντας θεῖναι, ὥσπερ αὐτὴ προσέταξεν). Perinde incertum est, num Speusippus moriens in testamento suo Xenocratem heredem instituerit. Cum apud varios scriptores veteres ut etiam in his epistulis legamus Speusippum praefecisse Xenocratem Academiae regendae, ex Academicorum indice Herculanensi[1]) successorem non ab uno, sed omnibus suffragiis latis creari oportuisse colligitur. Tamen autem opinari possumus Speusippum Xenocrati in regionibus remotis versanti scripsisse, ut domum rediret, quia illum sibi successurum esse desideravit. Post Speusippi mortem Xenocrates successor creatus est, quam ad rem multum valuisse, quod Plato ei faverat eundemque Speusippus commendaverat, mirum non est.

Ut iam dixi, epistula nobis non servata Xenocrates arcessitus esse videtur[2]); idem ostendi potest de epistula 29 Socratica, cuius verba Diogenes Laertius tradit. Aeque ante demonstravi epistulam Aristippi ad Areten filiam missam re vera exstitisse, qua ut hanc conscriberet epistolographus commotus sit.

In epistula prima Socrates respondet Archelao regi, qui eum ad se invitaverat epistula, qua dimidium regni pollicitus esse dicitur. Regem eius modi inepta et stulta verba pronuntiasse vix putamus, sed constat permultas epistulas principum ad illustres viros missas iam antiquissimis temporibus fuisse[3]). Praeter hoc autem Aristoteles hanc Archelai invitationem testatur, ut iam alio loco commemoravimus. Sin autem con-

---

1) edid. Segefredus Mekler, 1901; cf. etiam Ed. Schwartz PWRE s. Diogenes Laertius (V 1, p. 451).

2) Verbis ep. 32 *θεοῦ τάξιν εἶχεν* subiciam Speusippi in Platonem epigramma (vid. Paulus Lang, De Speusippi Academ. scriptis, fr. 65, p. 86):

Σῶμα μὲν ἐν κόλποις κατέχει τόδε γαῖα Πλάτωνος,
ψυχὴ δ' ἰσοθέων τάξιν ἔχει μακάρων.

3) cf. Christ-Schmid, Griech. Literaturgesch.[5] II[1], p. 365, adn. 7.

ferimus quae tradunt scriptores alii, intellegimus hunc auctorem rem maxime exornasse atque depinxisse, cf. verba § 1: τὸ δεύτερον ἐπέστελλες καὶ πλείονα δώσειν ὑπισχνοῦ ... ἀλλ' ἐπὶ πλείοσι τῶν τότε διδομένων ὑπὸ σοῦ et § 10: σὺ δὲ καὶ τῆς βασιλείας ἔφησας μέρος διδόναι καὶ παρακαλεῖς, μὴ ὡς ἀρξόμενον βαδίζειν, ἀλλ' ὡς τοὐναντίον ἄρξοντα καὶ τῶν ἄλλων καὶ σοῦ αὐτοῦ. Si vero rex invitavit philosophum, eum unam tantum epistulam ei scripsisse verisimile est. Fieri potuit, ut ille, qui tot clarissimos viros ad se vocaverat, desideraret Socratem quoque ad se appropinquare, quippe fama eius iam tunc non exigua fuerit. Posterioribus autem temporibus, quibus epistulae principum ad philosophos permultae supponebantur, illam quoque epistulam Socraticam ortam esse censeo.

23. Similitudo cum epistulis Cynicorum et Platonicis et Epicureis.

Epistulae Socratis et Socraticorum non valde differunt ab epistulis Cynicorum et Platonicis. Quod ad illas attinet, suspicio est eas spectare ad eadem scripta cynica, quibus usi sunt auctores nonnullarum epistularum, quae Socraticis addicuntur. Quare statui oportet non verisimile esse in epistulis cynicis Socraticas adhibitas esse[1]). Sane autem auctores epistularum Socraticarum ex epistulis, quae Platoni attribuuntur, hausisse cogitari potest, si non utraque epistula spectat ad eundem fontem.

Nonnulla liceat mihi facere verba de ratione, quae intercedat inter epistulas Socraticas et Epicureas vel scripta Epicurea[2]). Imprimis verba epistula 29 Socr. cum Epicuri testamento comparanda sunt. Affero haec: frg. 217 (testamentum Epicuri), p. 165,11 Usener[3]): τὴν ἐν τῷ κήπῳ διατριβὴν παρακατατίθεμαι τοῖς τ' αὐτῶν κληρονόμοις. ep. Socr. 29 § 4: ταύτην (philosophiam) γὰρ αὐτῷ καταλείπω τὴν ὄντως κληρονομίαν.

1) cf. etiam W. Capelle, De Cynicorum epistulis, p. 9.

2) Jam Guilelmus Croenert (Kol. u. Mened.) ex dicendi ratione cognationem quandam statuit.

3) Hermannus Usener, Epicurea, Lips. 1887.

p. 165,14 Us. τὴν οἰκίαν...ep. Socr. 29 § 2: οἱ δύο μὲν γάρ σοι κῆποι μένουσιν ἱκανοί. τὸ δ' ἐν τῇ Βερενίκῃ κτῆμα.

p. 168,10 Us. ἀφίημι τῶν παίδων ἐλεύθερον ... ep. Socr. 29 § 2.

p. 167,1 Us. ἐπιμελείσθωσαν δὲ καὶ Ἀμυνόμαχος καὶ Τιμοκράτης τοῦ υἱοῦ τοῦ Μητροδώρου Ἐπικούρου καὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ Πολυαίνου, φιλοσοφούντων αὐτῶν ... et ep. Socr. 29 § 3: πρὸ παντὸς δὲ ἐπισκήπτω σοι τοῦ μικροῦ Ἀριστίππου ἐπιμελεῖσθαι, ὅπως ἄξιος ἡμῶν καὶ φιλοσοφίας et κτηματίτην ποίει τούτου (i. e. τοῦ πλούτου) τὸν υἱόν.

p. 167,3 Us. ὡσαύτως δὲ τῆς θυγατρὸς τῆς Μητροδώρου τὴν ἐπιμέλειαν ποιείσθωσαν, καὶ εἰς ἡλικίαν ἐλθοῦσαν ... et epist. Socr. 29 § 3 ὅτι κράτιστα παιδεύσασα τὸν Ἀ. ... § 4 θῆλυ δὲ τέκνον...εἰς ἡλικίαν ἐλθοῦσαν.

p. 168,1 Us. μηδενὸς τῶν ἀναγκαίων ἐνδεεῖς καθεστήκωσιν ... ep. Socr. 29,2: ὥστε σε ἐνδεᾶ γενέσθαι.

Ad hoc auctores epistularum Socraticarum usurpasse Epicuri dicendi rationem[1]) et scripta ex multis locis similibus colligitur. Inveni haec: E sententiis selectis (κύριαι δόξαι) Epicuri frg. 214 Us. μὴ φεῦγε τὰ μικρὰ χαρίζεσθαι· δόξεις γὰρ καὶ πρὸς τὰ μεγάλα τοιοῦτος εἶναι ..... ep. Socr. 29 § 3: τῶν μικρῶν ὑμᾶς οὐ παρακελεύομαι καταφρονεῖν ..... frg. 138 p. 143 Us. σὺ δὲ ἀξίως τῆς ἐκ μειρακίου παραστάσεως πρὸς ἐμὲ καὶ φιλοσοφίαν ἐπιμελοῦ τῶν παίδων Μητροδώρου; cf. verba Aristippi de nepote educando: ep. 29 § 4. 5. Eadem fere verba inveniuntur frg. 122 (ad Hermarchum) et frg. 138 (ad Idomeneum), cf. etiam simile frg. 177 (p. 134,5) et frg. 176. Ad epistulam 21 Socr. conferas velim Epicuri frg. 176 (epistula ad puerum vel puellam) ... εὖ γὰρ ἴσθι ἡ αἰτία ὅτι καὶ ἐγὼ καὶ οἱ λοιποὶ πάντες σε μέγα φιλοῦσιν ὅτι τούτοις πείθῃ πάντα; et ex Epicuri testamento frg. 217 p. 168,3 Us.: ἐὰν δέ τι τῶν ἀνθρωπίνων περὶ Ἕρμαρχον γένηται πρὸ τοῦ τὰ Μητροδώρου παιδία εἰς ἡλικίαν ἐλθεῖν ad ep. 21 verba: ὡς εἰ σὺ ἢ ἐγὼ ἢ ἄλλος τις, ὅτῳ μέλει τις τελευτήσαντος *Σωκράτους* τῶν παί-

1) De Epicuri vocabulis ab optima Atthide alienis scripsit Paulus Linde (Bresl. Philol. Abhandl. IX. 3. 1906).

δων, ἀποθάνοι. — frg. 66* (e cod. Vatic. gr. 1950, cf. Wiener Studien X 1880, p. 175 sq. C. Wotke et H. Usener): συμπαθῶμεν τοῖς φίλοις οὐ θρηνοῦντες ἀλλὰ φροντίζοντες (cf. ep. 21 § 1)[1].

Quod ad epistulas 32sq. attinet, haud paucas epistulas privatas, quae papyris emersae sunt, adicere possum, quae illustrent auctorem harum litterarum in usum suum convertisse easdem voces, quibus epistolarium genus illius aetatis notetur. Conferas quaeso exempla haec: Epistulae privatae graecae (ed. Stanislaus Witkowski, Lips. 1906), p. 6 ep. III πολλάκις μὲν γέγραφά σοι παραγενέσθαι καὶ συστῆσαί με, ὅπως τῆς ἐπὶ τοῦ παρόντος σχολῆς ἀπολυθῶ. καὶ νῦν δέ, εἰ δύνατόν ἐστιν καὶ μηθέν σε τῶν ἔργων κωλύει, πειράθητι ἐλθεῖν εἰς τὰ 'Αρσινόεια. — Praeterea inspicias ep. 34, p. 55, p. 12, p. 16 (ἀφεθῆναι διὰ τέλους), p. 67 (καλῶς οὖν ποήσεις παραγίνεσθαι vel βολάμενοι συνμῖξαί σοι ἥκαμεν (cf. ep. Socr. 29, § 3. 4), p. 75.

Perdifficile igitur est diiudicare quibus fontibus usi sint epistolographi, quippe quaecumque tradunt de vita ac moribus cuiusdam viri, utrum debeant vitae cuidam an alteri scripto ut dialogo vel florilegio, nobis lateat. Similiter cui libro addicamus sententiam quandam vel verba, nos in dubio relinquere oportet, quia plerumque referenda sint ad scripta, quae hodie non servata sunt, quorumque numerum haud exiguum fuisse ut alii ita Diogenes Laertius nobis tradit. Verisimillimum est in dialogis et ceteris et illius (sc. Socratis et Socraticorum) et posterioris aetatis scriptis permulta, quae memoratu digna essent, latuisse — dico fragmentum illud Herculanense nuper in lucem prolatum, quo continetur Socratis vita (cf. Rhein. Mus. 57 (1902), p. 285 sq. Croenert),

1) Saepius occurrunt quae Epicuri rationi dicendi propria sunt vocabula: substantiva, quae excidunt in syllabam -μα, ut in ep. 29 inveniuntur haec: *συμβούλευμα* (§ 2), *βούλημα*, *βιότευμα* (§ 3). — Ceterum cf. *ἀντικατάλλαγμα* (ep. 6), *ἀτόπημα* (ep. 9), *ἀπεικόνισμα* (ep. 20), *βαυκάλημα* (ep. 27), *κοίνωμα*, *θεώρημα* (ep. 35), *φενάκισμα* (ep. 36).

ἀπολογίας, κατηγορίας, (Lysiae, Polycratis aliorumque), διαλόγους, ἀπομνημονεύματα, μονογραφίας Aristoxeni (Βίος Σωκράτους), Idomenei et Phaniae (περὶ τῶν Σωκρατικῶν), Demetrii Phalerei (ἐν τῷ Σωκράτει Plut. Aristid. c. 1. 27). Peripateticos philosophos potissimum ad Socratis eiusque discipulorum laudem detrahendam multum operae contulisse satis constat. Quod ad sententias et praecepta philosophorum attinet, antiquis temporibus haud pauci libri, quos inspicere potuerunt epistolographi, reperiebantur, ut varia scripta, quae erant περὶ κολακείας, φιλίας, ὀργῆς, λύπης, χρηματισμοῦ, βασιλείας et cet. Ad illustrandam rationem cynicorum Luciani quoque Samosatensis libros ad usum conversos esse vero proximum est.

Pars altera.

Quaeram hoc capite de epistula tricesima ad Philippum, regem Macedonum, missa, quae valde memorabilis est, cum non modo inveniantur permultae res, quae ad historiam et historiam fabularem pertinent, sed etiam copiose agatur de illius aetatis condicionibus atque simultatibus, quae exstiterint inter viros nobis minime ignotos. Qua de causa multi viri docti, ut de hac epistula inquirerent, commoti sunt[1]). Ut iam ante dixi[2]), nomen suum non indicavit auctor epistulae, neque usquam nobis traditur quicquam, quod de auctore certiores nos faciat. Attamen unus locus, quem invenimus apud Athenaeum XI 506 E, ad hanc epistulam spectare videtur: verba translata sunt ex Carysti Pergameni, rerum scriptoris illustris, qui floruit secundo a. Chr. nat. saeculo, commentariis[3]). Legimus apud Athenaeum haec: Οὗτος ἔστι

1) Explicate de hac epistula disseruit C. G. Boehnecke, Demosthenes, Lykurgos, Hypereides u. ihr Zeitalter, Berol. 1864, I, p. 442 sq.

2) vid. pag. 11 sq.

3) Scripsit *ὑπομνήματα ἱστορικά*, quorum servata sunt sedecim fragmenta, quae composita sunt FHG IV 356.

Πλάτων, ὃν Σπεύσιππός φησι φίλτατον ὄντα Ἀρχελάῳ, Φιλίππῳ τῆς βασιλείας αἴτιον γενέσθαι. Γράφει γοῦν Καρύστιος ὁ Περγαμηνὸς ἐν τοῖς Ἱστορικοῖς Ὑπομνήμασιν οὕτως· *Σπεύσιππος*, πυνθανόμενος Φίλιππον βλασφημεῖν περὶ Πλάτωνος, εἰς ἐπιστολὴν ἔγραψέ τι τοιοῦτον, ὥσπερ ἀγνοοῦντας τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς βασιλείας Φίλιππος διὰ Πλάτωνος ἔσχεν. Εὐφραῖον γὰρ ἀπέστειλε τὸν Ὠρείτην πρὸς Περδίκκαν Πλάτων, ὃς ἔπεισεν ἀπομερίσαι τινὰ χώραν Φιλίππῳ. Διατρέφων δ' ἐνταῦθα δύναμιν, ὡς ἀπέθανε Περδίκκας, ἐξ ἑτοίμου δυνάμεως ὑπαρχούσης, ἐπέπεσε τοῖς πράγμασι. Carysti Pergameni verba conferenda sunt cum epistulae Socraticae paragraphi duodecimae: πυνθάνομαι δὲ καὶ Θεόπομπον παρ' ὑμῖν μὲν εἶναι, πάνυ ψυχρόν, περὶ δὲ Πλάτωνος βλασφημεῖν, καὶ ταῦτα ὥσπερ οὐ Πλάτωνος τὴν ἀρχὴν τῆς ἀρχῆς ἐπὶ Περδίκκᾳ κατασκευάσαντος καὶ διὰ τέλους χαλεπῶς φέροντος, εἴ τι γίνετο παρ' ὑμῖν ἀνήμερον ἢ μὴ φιλάδελφον. Quia hi loci inter se haud multum discrepant, permulti — primum Leo Allatius hoc ostendit — Speusippum esse auctorem huius epistulae contenderunt. Neque vero haec sententia diu valuit. Sunt qui epistulas iam illa aetate conscriptas esse omnino nolint[1]). Subtiliter idemque diligentissime illos locos comparans iam Westermannus[2]) iudicavit „eos inter se discrepare multum ita ut, si haec quoque sit epistola Speusippi, plures certe ad Philippum credendus sit dedisse. Obstare totius epistolae habitum et argumentum, quaque redundare eruditionem satis putidam, eamque nec Speusippo dignam nec Philippo. Rhetorem potius sapere invectionem in Isocratem". Recentioribus temporibus alii alia protulerunt, quibus Speusippum non esse auctorem[3]) demonstretur, cum

1) Wilamowitz, Antigonos von Karystos, 1881, p. 151. 182.

2) De epistolarum scriptoribus graecis, VII, p. 15 sq.

3) Maxime digna quae commemorentur sunt, quae attulerunt Jacobus Bernays et Fr. Susemihl, quorum alter (Phokion u. s. neueren Beurteiler, 1881, p. 116) monet epistolographum adhibere voluisse diversas vocabuli *ἀρχή* notiones — quae erat forma rhetorica iam ab Aristotele (Rhet. III. 11) commemorata — commutantem verba quibus usus erat Speusippus in epistula vera: *ὅτι καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς βασιλείας*

alii certe discernere non audeant[1]). Nuperrime Obens (p. 31) iudicavit: ‹Epistula declamatio recentioris cuiusdam rhetoris est, qua quinta Isocratis oratio, quae Philippus inscribitur, perstringitur et quae in epistulae formam redacta est.› Quod iudicium probabimus; at nimis acerba neque apta mihi videntur verba quae fecit Obens p. 39: ‹Videmus igitur epistulam continere „eine Fülle erlesener Notizen“ omnino non dici posse›, postquam illustrare conatus est haud pauca, quae epistula haec complectitur, fide non digna esse. At neutiquam omnia concedemus, ut sane confirmandum sit his litteris permulta, quae memoratu maxime digna sint, inveniri, qua in re ad hunc diem congruerunt sententiae omnium virorum doctorum. Nunc vero nos perscrutemur quae epistula nobis servaverit; ac primum quidem explicemus, quomodo impugnaverit epistulae auctor Isocratem eiusque discipulos; deinde reliqua quae exhibet epistula memorabilia examinemus.

Epistula est, ut satis constat, libellus, quem auctor conscripsit in Isocratis orationem, quae inscribitur Φίλιππος, anno 346 a. Chr. n. ad Philippum missam; hac occasione usus est epistolographus non modo Isocratem, sed scholam ipsam discipulosque oratoris vehementer impugnandi. Quae iudicat de oratione illa, magna ex parte a vero absunt, cum quae vituperat de oratione iam aliis regibus missa[2]) tum de sententiis, quae in oratione illa pronuntiantur. At respiciendum est, quibus de causis ut has litteras componeret, commotus sit

Φίλιππος διὰ Πλάτωνος ἔσχεν in *πυνθάνομαι . . . οὐ Πλάτωνος τὴν ἀρχὴν τῆς ἀρχῆς ἐπὶ Περδίκκᾳ* . . . .; alter (Griech. Literaturgesch. d. Alexandr. II p. 586) opinatur Laertio Diogene teste epistulas tantum exstitisse, quae Speusippi nomine inscriptae fuissent, sed verae an ficticiae sint, incertum esse; hoc unum constare Carystium novisse et Platonis et Speusippi collectiones epistularum, ut dubium ei non videatur, quin duae hae epistulae ad Philippum datae eidem collectioni adiudicandae fuerint atque haec epistula a rhetore prudenti atque erudito composita sit.

1) Constantinus Ritter, Neue Untersuch. über Platon, Monach. 1910, p. 381 sq.

2) vid. Obens, l. c. p. 37.

auctor. Tria sunt momenta, quae affert: Ἰσοκράτης μὲν γὰρ οὔτε τὰς εἰς τὴν Ἑλλάδα γενομένας εὐεργεσίας ὑπὸ σοῦ καὶ τῶν σῶν προγόνων δεδήλωκεν, οὔτε τὰς ὑπό τινων κατὰ σοῦ γεγενημένας διαβολὰς λέλυκεν, οὔτε Πλάτωνος ἐν τοῖς πρὸς σὲ πεμφθεῖσι λόγοις ἀπέσχηται. Miro modo haec tertia criminatio hac epistula non amplius explicatur, illaque quae prior affertur, nonnullis tantum verbis (§ 4) declaratur, cum de ea, quae primo loco affertur, saepe et copiosius disseruerit epistolographus. Hoc crimen verbis orationis Isocratis ipsis refutatur; nam quid sibi proposuerit hanc orationem conscribens, Isocrates dicit in capite 6[1]): Μέλλω γάρ σοι συμβουλεύειν προστῆναι τῆς τε τῶν Ἑλλήνων ὁμονοίας καὶ τῆς ἐπὶ τοὺς βαρβάρους στρατείας. ἔστι δὲ τὸ μὲν πείθειν πρὸς τοὺς Ἕλληνας συμφέρον, τὸ δὲ βιάζεσθαι πρὸς τοὺς βαρβάρους χρήσιμον. ἡ μὲν οὖν περιβολὴ παντὸς τοῦ λόγου τοιαύτη τίς ἐστιν. Isocratem igitur commemorare, quae non ad ea, quae in animo habuerat, pertinerent, necesse non erat. Neque iure dicit auctor epistulae Socraticae (§ 4): οὕτως γὰρ ἂν ὁ περὶ σοῦ γραφεὶς λόγος τῆς παρὰ τῶν Ἑλλήνων εὐνοίας ἔτυχε μᾶλλον ἢ μηδὲν ἀγαθὸν περὶ τῆς ὑμετέρας βασιλείας εἰπόντος; at Isocrates compluribus locis cum Herculem tum alios Philippi maiores nominaverat eorumque res gestas sustulerat. Quod ad illustrandum commemoro verba orationis ad Philippum missae cap. 12, ubi Isocrates qua necessitudine Hercules coniunctus esset cum variis Graecorum civitatibus explicavit: neque Herculis beneficia effert, sed quas gratias debeat Philippus urbibus Graecis, quae divinis honoribus colant eundem, a quo genus suum ducant reges Macedonum. Aeque verba, quae fecit orator duobus aliis locis[2]), hic afferenda

1) ed. Blass.[2] 1895.

2) Phil. c. 7. Se missurum esse orationem, in qua non efferrentur res gestae regis: *ἕτεροι γὰρ τοῦτο ποιήσουσιν.*

Phil. c. 31. *Τίς γὰρ οὐκ ἂν ἀγανακτήσειε καὶ μισήσειεν, εἰ φαίνοιτο τούτοις ἐπιβουλεύων, ὑπὲρ ὧν ὁ πρόγονος αὐτοῦ προείλετο κινδυνεύειν, καὶ τὴν μὲν εὔνοιαν, ἣν ἐκεῖνος κατέλιπε τοῖς ἐξ αὐτοῦ γεγενημένοις, μὴ πειρῷτο διαφυλάττειν, ἀμελήσας δὲ τούτων ἐπονειδίστων ἐπιθυμοίη καὶ πονηρῶν πραγμάτων.*

sunt. Sed quae maxime notatu digna sint scripta videmus cap. 45 sq., ubi Isocrates dicit haec: Amyntas, pater tuus, amicissime usus est omnibus civitatibus isque, qui posuit regni fundamenta, sapientissime condidit Macedonum civitatem, non Graecorum. Quibus dictis de Hercule loquitur declarans nonnullas eius virtutes non satis elatas esse a poetis et scriptoribus, quod valde doleat; denique ut imitetur amicos Philippum adhortatur[1]). Inde intellegimus oratorem non id imprimis egisse, ut placeret regi, sed ut efficeret quod in argumento indicaverat. Sed ab alia parte epistulae auctor vidit, qui id unum spectat, ut Macedonum reges summis laudibus exornet. Praeter hoc sibi persuaserat se habere, quod Isocratem consectaretur, qui in arte rhetorica e maiorum laude auditorum benevolentiam oratori esse conciliandam percepisset. Tum perseverans epistolographus Isocratem illudens (§ 4): ἦν δὲ καὶ τὰ παλαιὰ διαλεχθῆναι τῆς Ἰσοκράτους ἡλικίας, τὸ δὲ εὐθαλῶς, ὥς φησιν αὐτὸς, ἀνθούσης τῆς διανοίας, detorquere conatur Isocratis verba in oratione ad Philippum missa cap. 5 facta[2]): οὐκ ἀγνοῶν οὐδὲν τῶν περὶ ἐμαυτὸν, ἀλλ' εἰδὼς μὲν τὸν λόγον τοῦτον οὐ τῆς ἡλικίας τῆς ἐμῆς δεόμενον, ἀλλ' ἀνδρὸς ἀνθοῦσαν τὴν ἀκμὴν ἔχοντος καὶ τὴν φύσιν πολὺ τῶν ἄλλων διαφέροντος. — Verbis ἀλλὰ μὴν καὶ τὰς διαβολὰς ἐνῆν λῦσαι τὰς τὸ πλεῖστον ὑπ' Ὀλυνθίων γινομένας Isocrates crimine compellatur, quod non refutaverit criminationes eas, quae permultae ab Olynthiis in regem collatae essent; at vero Isocrates, etiamsi non Olynthiorum, tamen crimina falsa protulerat, quae in Philippum allata erant. In paragrapho 9 utitur epistolographus his verbis: ὧν ὁ τὰ παλαιὰ καινῶς καὶ τὰ καινὰ παλαιῶς ἐπαγγελλόμενος διδάσκειν λέγει νῦν οὔτε τὰς ἀρχαίας πράξεις οὔτε τὰς ὑπὸ σοῦ νεωστὶ διαγωνισθείσας, οὔτε τὰς τοῖς χρόνοις μεταξὺ γενομένας μεμύθευκε. Prima verba conferas velim cum Isocratis libri, qui Πανηγυρικός inscribitur, capite 1, ubi legimus: ἐπειδὴ

1) De Hercule maioribusque Philippi cf. etiam c. 55. 60.

2) cf. etiam Obens, p. 39 sq.

δ' οἱ λόγοι τοιαύτην ἔχουσι τὴν φύσιν, ὥσθ' οἷόντ' εἶναι περὶ τῶν αὐτῶν πολλαχῶς ἐξηγήσασθαι, καὶ τὰ μεγάλα ταπεινὰ ποιῆσαι καὶ τοῖς μικροῖς μέγεθος περιθεῖναι, καὶ τά τε παλαιὰ καινῶς διελθεῖν καὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν, οὐκέτι φευκτέον ταῦτ' ἐστί, περὶ ὧν ἕτεροι πρότερον εἰρήκασιν, ἀλλ' ἄμεινον ἐκείνων εἰπεῖν πειρατέον; ex quo videmus non ad verbum, sed quasi e memoria citantem haec verba attulisse epistolographum, quem Panegyrici locum cognitum habuisse mihi persuasum est [1]). Neque vero de Philippi rebus gestis tacuerat orator, tamquamsi recusaverat, ne omnia regis facta enumerare in animo haberet (c. 40), ne loquax et molestus garrulus indicaretur. — Multa quoque alia Isocratis orationem perscrutans epistulae auctor quae ut vituperaret digna esse putabat: reprehendit exempla, quae attulerat rhetor Philippum regem ad facinora honesta excitans, cum maiorum Philippi facta praetermissa essent, vid. Isocr. Phil. c. 24. 26. Sed Alcibiadem et Dionysium sibi elegisse, ut in mores illorum formaret regem, Isocratem vel inde apparet, quod efferre voluerit, qui magnas contra hostes peregrinos res confecissent. Epistolographus autem maxime ut haec exempla improbaret, adductus est ea de causa, quod Isocrates in institutionibus rhetoricis domestica et nota exempla docenda esse ostenderat [2]). — Posthaec irridet atque ludificatur epistulae auctor Isocratem eiusque discipulos, qui orationem illam tantopere laudaverint, ut orationum omnium primas huic detulissent; nullo autem loco commemoratur discipulos hanc orationem omnium optimam esse dixisse, ut ambiguum non sit haec ab auctore epistulae per ludibrium adiecta esse. — Postrema huius epistulae parte (§ 14) Isocratem in Philippo saepius simulavisse perstringitur: atque primum Isocrati crimini datur, quod dixerit pacem de Am-

1) cf. autem Obens, p. 40, adn. 5.

2) Phil. c. 113: *τὸ γὰρ μὴ δεῖν ἀλλοτρίοις χρῆσθαι παραδείγμασιν, ἀλλ' οἰκεῖον ὑπάρχειν* (cf. verba epist. 5 Socr. § 2: *ὧν ἀμφοτέρων οἰκεῖα ἔχεις τὰ παραδείγματα*).

phipoli factam se impedisse, ne de Herculis immortalitate orationem scriberet, sed hanc in posterum se conscripturum esse. Cogitatur de loco orationis ad Phil. c. 12, ubi habemus haec: τὴν δὲ πόλιν τὴν ἡμετέραν φασίν, οἷς περὶ τῶν παλαιῶν πιστεύομεν, Ἡρακλεῖ μὲν συναιτίαν γενέσθαι τῆς ἀθανασίας (ὃν δὲ τρόπον, σοὶ μὲν αὖθις πυθέσθαι ῥᾴδιον, ἐμοὶ δὲ νῦν εἰπεῖν οὐ καιρός), τοῖς δὲ παισὶ τοῖς ἐκείνου τῆς σωτηρίας (cf. c. 46). Isocratem tale quicquam non in animo habuisse optimo iure suspicari possumus. — Impugnavit etiam epistolographus Isocratem vocans eum σοφιστήν in § 9: πρὸς δὲ τούτοις ἐπὶ πράξεις σε δικαίας προκαλῶν ὁ σοφιστής . . . Isocratem ita nominari noluisse satis constat, cum sophistas contempserit (cf. Phil. c. 5. 10). Sane epistolographum hac voce non modo usum esse ludibrio, sed ei etiam persuasum fuisse Isocratem sophistae cuidam aequandum esse arbitror, ac fortasse in memoria eius versabantur verba ὧν ὁ τὰ παλαιὰ καινῶς ... Accedit, quod vix negari potest illum re vera sophistam quendam fuisse, qui saepissime commoveretur, ut cum discipulos, qui eum adiuvabant et imitabantur, castigaret tum adversarios, qui vellicabant eius verba et scripta (cf. Isocr. Phil. c. 5. 35. 39. 131. 138 aliaque).

Apparet nos comprobare non posse, qua ratione epistolographus pugnaverit contra Isocratis orationem ad regem missam. Immo vero nisi in epistula multa occurrerent, quae pro certo non constent, existimare possemus Speusippum ipsum eiusmodi verba de Isocrate fecisse. Controversiae enim, quae fuerint inter Speusippum et Isocratem, non ignotae sunt: scimus Isocratem librum scripsisse contra Platonem (περὶ Πλάτωνος), ut etiam discipuli eius nonnulli, ut Cephisodotus et Theopompus, Platonem reprehenderant. Huc accedit, quod Caeneus quidam (vid. Diog. L. IV 2) refert Speusippum arcana Isocratis prodidisse, quae non praecepta de arte rhetorica fuisse, sed ut iam Rehdantzius[1]) recte animadverterat,

1) Vitae Iphicratis, Chabriae, Timothei Atheniensium, 1845, p. 163sq.

ea arcana, quae ad Isocratem infamandum spectarent. Epistulae quae contra Isocratem scriptae Speusippo vindicantur, grave praebent testimonium huius simultatis. Praeterea Speusippus quoque librum πρὸς τὸν Ἀμάρτυρον, i. e. librum contra Isocratis orationem illam iudicialem (cf. P. Lang, l. c. p. 38) conscripsisse videtur[1]). E tota epistula Socratica autem inter illos viros inimicitias haud exiguas fuisse conici potest.

Non solum Platonis et Speusippi erat, sed scholae Academicae omnino, Isocratem eiusque disciplinam consectari, quod is eiusque discipuli non perseverabant in Platonis praeceptis et philosophiae principiis. Qua de causa auctor quoque epistulae huius omnium discipulorum laudi obtrectare conatur. Simul hac epistula docemur, quomodo asseclae utriusque scholae de Philippi regis gratia certaverint[2]).

Primo contemplemur, qua ratione insectatus sit Pseudospeusippus Theopompum Chium. Legimus § 12: πυνθάνομαι δὲ καὶ Θεόπομπον παρ' ὑμῖν μὲν εἶναι πάνυ ψυχρόν, περὶ δὲ Πλάτωνος βλασφημεῖν, καὶ ταῦτα ὥσπερ οὐ Πλάτωνος τὴν ἀρχὴν τῆς ἀρχῆς ἐπὶ Περδίκκᾳ κατασκευάσαντος .... ἵνα οὖν Θεόπομπος παύσηται τραχὺς ὤν, κέλευσον Ἀντίπατρον παραναγνῶναι τῶν Ἑλληνικῶν πράξεων αὐτῷ, καὶ γνώσεται Θεόπομπος δικαίως μὲν ὑπὸ πάντων ἐξαλειφόμενος, ἀδίκως δὲ τῆς παρὰ σοῦ χορηγίας τυγχάνων. — Praeter hoc de simultate, quae intercesserit Theopompo cum Platone, audimus apud Athenaeum VI p. 508 C Theopompum scripsisse librum, qui erat κατὰ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς[3]). Verba Theopompi, quem Speusippus significat hac epistula τραχὺς ὤν — ceterum haec et verba quae sequuntur πάνυ ψυχρός plane exprimunt odium atque simultatem adversarii — acria atque acerba fuisse notum est: testantur hanc Theopompi indolem varii scriptores, ut Polybius (VIII 11sq. XII 25sq.) et Cornelius Nepos (in vita Alci-

1) Diog. L. IV 5.
2) C. Reinhardt, De Isocratis aemulis, Bonn. Diss. 1873, p. 43.
3) vid. etiam de hoc scripto Christ-Schmid, Griech. Literaturg. I p. 503, adn. 8.

biadis c. 11: maledicentissimus scriptor). Etiam alia causa Speusippus ut imbecillaret adversarium commotus esse videtur: scriptor rerum, qui res gestas regis tractaret, non Isocratis discipulorum numero, sed scholae suae ipsi attribuendus esset[1]). — E verbis quae sequuntur fortasse apparet Theopompum in opere suo dixisse non Platonem Philippo regnum paravisse: ὥσπερ οὐ Πλάτωνος τὴν ἀρχὴν τῆς ἀρχῆς ἐπὶ Περδίκκᾳ κατασκευάσαντος ..., quo modo declaratur etiam quod Obens adnotavit p. 37: „Speusippum illis verbis non Theopompum, sed Philippum ipsum vituperare voluisse“ (ἀδίκως δὲ τῆς παρὰ σοῦ χορηγίας τυγχάνων)[2]).

Ex epistula comperimus Theopompum a Philippo omnibus bonis exornatum esse. De Theopompo a rege Macedonum laudato conferas quae dicit Sozomenus[3]): οἱ τοιοῦτοι Κρητῶν οἱ πάλαι ἐγένοντο περὶ τὸν ἀοίδιμον ἐκεῖνον Ὅμηρον, ἢ Ἀλευάδαι περὶ Σιμωνίδην, ἢ Διονύσιος ὁ Σικελίας τύραννος περὶ Πλάτωνα τὸν Σωκράτους ἑταῖρον, ἢ Φίλιππος ὁ Μακεδὼν περὶ Θεόπομπον τὸν συγγραφέα.

Vero proximum est epistolographum auctores quosdam secutum esse, qui de vita Theopompi agerent; conferas verba quae similia leguntur in vita Bionis (Diog. L. IV 47): ὥστε παυσάσθωσαν Περσαῖός τε καὶ Φιλωνίδης ἱστοροῦντες αὐτά. σκόπει δέ με ἐξ ἐμαυτοῦ cum epist. 30 § 12 ἵνα οὖν Θεόπομπος παύσηται τραχὺς ὤν, κέλευσον ...[4]).

Item acriter atque vehementer insectatus est hac epistula Speusippus Isocratem Apolloniatem, de quo dicit

1) cf. Christ-Schmid, Gr. L., I p. 498, adn. 1: In der Schilderung von dem Wettlauf der isokrat. Historikerschule um die Stellung des Hofhistoriographen am makedon. Hof in den Sokratikerbriefen nr. 30 ff. darf man gewiß einen Nachhall geschichtlicher Vorgänge finden.

2) Obens p. 37: Accedit, quod Theopompus non ante annum 342 apud Philippum fuit, ac Speusippum quattuor annis post illam orationem Isocratis perstrinxisse verisimile non est.

3) Historia ecclesiastica, I p. 394; cf. C. G. Boehnecke, l. c., p. 477, adn. 3.

4) cf. Fr. Leo, Griech.-röm. Biogr., p. 65.

§ 11: ἀπέδειξε τὸν Πονθικὸν μαθητὴν τῆς αὐτοῦ σοφίας διάδοχον, οὗ σὺ πολλοὺς τεθεαμένος σοφιστὰς βδελυρώτερον οὐχ ἑώρακας et § 14 de eodem discipulo apud Philippum recitante: μὴ θαυμάζειν δέ, εἰ καί πως ἀναγνοὺς ὁ Ποντικὸς μωλύτερον καὶ φαυλότερον ποιεῖ φαίνεσθαι τὸν λόγον[1]); de hoc refert Suidas: Ἰσοκράτης Ἀμύκλα τοῦ φιλοσόφου, Ἀπολλωνίας τῆς ἐν τῷ Πόντῳ, ἢ Ἡρακλείας, ὡς Καλλίστρατος ὁ ῥήτωρ, μαθητὴς καὶ διάδοχος τοῦ μεγάλου Ἰσοκράτους, διακούσας δὲ καὶ Πλάτωνος τοῦ φιλοσόφου... Hinc apparet, quod dicit auctor epistulae de successu, re vera evenisse; sed in dubio relinquendum est, num Isocrates iam tunc illum successorem instituerit. Ceterum nomen eius cum clarissimi oratoris Atheniensis saepius commutabatur et duas quae in catalogo commemorantur orationes, Ἀμφικτυονικός et Προτρεπτικός, Apolloniatae Isocratis esse testatur Suidas[2]). Eadem causa commotus Fredericus Blass[3]) orationem, quae Isocrati Atheniensi vindicata inscripta est πρὸς Δημόνικον, huic Apolloniatae addicere vult, cui iam Harpocratio (s. v. ἐπακτός) adiudicaverat. Equidem ad eandem sententiam accedo atque alium testem hac epistula inveniri puto. Oratio enim plenior sophisticis notis atque elementis quam ut Isocrati Atheniensi attribuatur, sophistae cuidam addicenda videtur; atque vero egregie illa verba οὗ σὺ βδελυρώτερον (derivatur a βδέω = germanice stinken) σοφιστὴν οὐχ ἑώρακας ad hoc vel etiam alia huius viri (fortasse περὶ τῆς ἑαυτοῦ πολιτείας) scripta referenda mihi videntur. — Quod attinet ad verba, quae leguntur § 14, Fredericus Blass (Att. Bereds. II, p. 450) negat Isocratem Apolloniatem fuisse, qui recitavisset. Ego quidem crediderim auctorem epistulae genuinae Philippo tantummodo persuadere voluisse, argumentum orationis esse malum, non recitationem. Attamen fieri potuit, ut quia rex non nomi-

1) Cobet, Mnemosyne X (1882), p. 59 proposuit legendum pro *εἰ καί πως ἀναγν.* *εἰ καλῶς ἀναγν.* et pro *μωλύτερον* *ἀμβλύτερον.*

2) s. *Ἰσοκράτης* 2. cf. C. Reinhardt, l. c., p. 44.

3) Att. Beredsamkeit, II², p. 451, cf. pag. 278 sq.

naverit eum qui recitaverat, sed simpliciter de arte dicendi locutus erat, Ps.-Speusippus inscius, qui epistulam recitavisset, adversarii nomen postea inseruerit. Praeter Theopompum et Isocratem Apolloniatem alium oratoris Atheniensis discipulum non silentio praeteriit epistolographus, Timotheum, Cononis filium[1]), cuius mentio fit § 13: Ἰσοκράτης, ἐπειδὴ νέος μὲν ὢν εἰς τὸν δῆμον μετὰ Τιμοθέου καθ' ὑμῶν ἐπιστολὰς αἰσχρὰς ἔγραφε. Simile aliquid habemus apud Plutarchum (vit. decem orator. X p. 837 C): Τιμόθεος ὁ Κόνωνος, σὺν ᾧ πολλὰς πόλεις ἐπῆλθε (i. e. Isocrates) συντιθεὶς τὰς πρὸς Ἀθηναίους ὑπὸ Τιμοθέου πεμπομένας ἐπιστολάς, ὅθεν ἐδωρήσατο αὐτῷ τάλαντον τῶν ἀπὸ *Σαμίου* περιγενομένων (i. e. anno 365). Perinde refert Photius Bibl. 115a. 486b) Isocratem multas civitates obeuntem epistulas ad Athenienses mittendas composuisse, αἳ τὸν Τιμόθεον ἐπεγράψαντο. Quando hae epistulae missae sint, ex epistulae Socraticae verbis concludere possumus: verba καθ' ὑμῶν illustrant hoc factum esse eo tempore quo Timotheus regi Macedonum bellum intulit. Sane autem cogitatur de bello Chalcidiensi (a. 364)[2]). Dicat quispiam obstare huic sententiae verba epistulae νέος ὤν, cum Isocrates anno 436/5 natus tunc iam senex fere fuerit. Qua de causa probabile videtur epistolographum hoc loco, per anachronismum, ut nunc aiunt, a vera temporis ratione aberrasse. Immo vero illum in narranda hac re fontem non pessimum adhibuisse accipere liceat.

Nemo iam negabit auctorem harum litterarum Isocratem ipsum — Timotheum amicum, nisi etiam discipulum Platonis fuisse constat[3]) — consectari voluisse, ut demonstraret oratorem nunquam Philippi causam cupivisse, quod iam iuvenis talis modi epistulas in regem conscripsisset, nunc senex

1) cf. Kirchner, Prosop. Att. II s. nr. 13700, *Τιμόθεος* II. Fr. Blass, Att. Bereds. II, p. 52 sq.
2) cf. Fr. Blass, Att. Bereds. II 53, adn. 3. Rehdantz, de Timotheo et Isocrate, p. 180 sq.
3) cf. Diog. L. III 23. Ael. var. hist. II 10. Blass, l. c. p. 52 sq.

res gestas regum Macedonum praeterisset; Isocratem autem illo tempore quo orationem scripsit, quae Φίλιππος inscribitur, regi nondum malevolum fuisse omnes sciunt.

Etiam de simultate, in qua fuerit Plato cum Isocrate et Theopompo, verba aliquot facta sunt: epistula ineunte Speusippus criminatur Isocratem, quod in scriptis suis ad Philippum datis Platoni criminando non pepercisset. Sane mirum est, ut iam diximus, auctorem illud, quod exprobravit, in epistula non amplius explicavisse, sed idem postea Theopompo obici. Quare quippe Plato in Isocratis Philippo nominatim allatus non sit, epistolographus nescisse videtur, ad quae verba spectaret haec exprobratio[1]). — Prinsterer (Prosopogr. Platon. p. 117) dicit locum ex Isocratis oratione ad Philippum missa p. 84 E[2]) arcessitum sibi non persuadere Platonem Isocrati primum favisse. Mea quidem sententia Plato Isocratem iuvenem magni aestimavit, sed postea ab eo discessit, ut ex variis scriptorum locis apparet, cf. Plat. Phaedr. p. 279 A[3]). — Qua in simultate fuerit Plato cum Theopompo, verbis paragr. 10 satis exprimitur; ceteroquin conferas, quae supra commemoravi.

Jam convertamus nos ad cetera, quae affert epistula memoratu digna, perscrutanda. Litteris commendaticiis epistolographus regi commendat Antipatrum, qui fert hanc epistulam. Hic auctori epistulae occasionem praebet exoptatam, perficiendi quod spectat, ut Isocratis de auctoritate detrahat, cum non solum causa sit harum litterarum, sed

1) Quem ad locum respexerit Isocratis obtrectator, J. Casp. Orellius l. c. p. 330 indicat: in cap. 5 huius orationis Isocrates in sophistas invehitur. Cf. H. Gomperz, Wien. Studien 1906: Die Angriffe auf Platon im Philippos; cf. etiam Obens, p. 39.

2) cap. 5 ed. Blass.

3) vid. B. von Hagen, Num simultas intercesserit Isocrati cum Platone, Jen. Diss. 1906. H. Gomperz, Wien. Stud. 1906, Isokrates u. die Sokratik. Ed. Zeller, l. c. IIa[4], p. 427 sq. Blass, p. 28 sq. Ferd. Dümmler, Akadem., 1889, p. 55.

etiam plurimas quae ad historiam pertinent scientias auctori epistulae obtulisse dicatur, quarum narratione Philippum delectari is qui scripserit epistulam minime ignorat. Antipater quis sit, nescimus, sed ex epistula varia de eo eiusque studiis comperire videmur. Audimus Antipatrum esse Magnetem (§ 1), qui ab aliquo Magnete iniuria adfectus sit; neque esse hominem mediocrem, sed verum scriptorem, qui iam diu res Graecorum gestas conscribat atque solus et primus fabulas de regionibus eis, quas Heraclidae possiderent, fide dignas narraverit (§ 5). E verbis καὶ πάλαι (§ 1) elucet illud opus, quod Antipater scripserit, non scriptulum fuisse. Commemoratur Antipater cum aliis locis tum in § 12, ubi epistulae auctor Philippum adhortatur, ut Antipatrum e rerum Graecarum volumine aliquid recitare iubeat, ut Theopompus cognoscat se nullo iure a rege omnibus adfici bonis. Orellius (l. c. p. 262) non alium esse intellegendum quam famosissimum illum Alexandri successorem, Iolai filium, putavit, de quo Suidas dicit: κατέλιπεν ἐπιστολῶν σύγγραμμα ἐν βιβλίοις δυσί, καὶ ἱστορίαν τὰς Περδίκκου πράξεις Ἰλλυρικὰς et cet.; hunc autem intellegi non potuisse Orellius ipse postea cognovit. Fredericus Blass (Eloquent. Attic. II, p. 69)[1] verba ἱστορίαν τὰς Περδίκκου πράξεις huic Antipatro Magneti adiudicanda esse proposuit. Quaerendum est, num rhetor falso usus sit persona Antipatri, quem Suidas vocat scriptorem rerum[2]). Hoc autem non credam, quia de libro, qui inscriptus erat Ἑλληνικαὶ πράξεις nemo quicquam protulit atque epistolographus epistula ineunte Antipatrum τὸ μὲν γένος Μάγνης appellat. Quibus de causis restant duae rationes: aut auctor omnia, quae de Antipatro dicit, effinxit ad proferendas res historicas et mythographicas, aut scriptorem quendam, cuius opus de antiquissimis rebus erat, in memoriam revocare vult.

1) Obens p. 31 declarat: „Ille, de quo Blass cogitat, filius Jollae, non esse potest," cum Blassio persuasum sit non illum Philippi et Alexandri ducem vocatum esse, sed scriptorem rerum quendam, de quo ad hunc diem nil noveramus (cf. l. c. p. 58sq.).

2) vid. Obens, p. 32.

Alterius scriptoris rerum, de quo haud multa comperimus apud alios scriptores veteres, mentio fit huius epistulae paragrapho 4: καίτοι τούτων χρὴ μὴ μόνον Ἡρόδοτον καὶ Δαμάστην μεμνῆσθαι τῶν εὐεργεσιῶν. De hoc Damaste[1]) refert Suidas: Δαμάστης Σιγειεὺς ἀπὸ Σιγείου, γῆς τῆς Τροάδος, Διωξίππου υἱὸς γεγονὼς, πρὸ τῶν Πελοποννησιακῶν σύγχρονος Ἡροδότου, τῶν παλαιοτάτων ἱστορικός. γέγραφε περὶ τῶν ἐν Ἑλλάδι γενομένων· περὶ γονέων καὶ προγόνων τῶν εἰς Ἴλιον στρατευσαμένων βιβλία δύο, ἐθνῶν κατάλογον καὶ πόλεων, περὶ ποιητῶν καὶ σοφιστῶν καὶ ἄλλα συχνά· γέγονε δὲ Ἑλλανίκου μαθητής. Vero proximum est ducem anni 433/2, qui commemoratur apud Thucydidem I, 45,2, eundem esse atque huius epistulae Damastem[2]), qui ab antiquis saepius vocatur, ut a Dionysio Halicarnassensi, Plutarcho, Strabone, aliis. Minus eum probat Strabo Eratosthenem reprehendens, quod ad sententiam suam confirmandam illo teste usus sit[3]). — Quod ad famam attinet huius scriptoris, non omittendum mihi videtur epistulae Socraticae auctorem Damastem nominasse una cum Herodoto; atque fortasse Damastes ut Herodotus res quae ad facta regum Macedonum pertinebant — quas inspexerit Antipater — copiosius enarravit atque in eo libro, qui ut Suidas tradit inscriptus erat περὶ τῶν ἐν Ἑλλάδι γενομένων, haec Macedonum regum beneficia commemorata erant, ut epistulae huius verbis ad Damastis quae exstant reliquias, novum fragmentum afferri suspicemur.

In enumerandis regum Macedonum erga Graecos beneficiis epistulae auctor saepius lapsus est[4]): dicit in paragrapho tertia Alexandrum interfecisse legatos a Xerxe missos, cum re vera eos a Dareo missos esse ex Herodoto (V 17—21) constet. Hoc quidem a posterioris aetatis scriptore falso translatum esse potuit: sed paulo post rhetor iterum in errorem

1) Fragmenta eius invenies FHG II 64—67.
2) cf. Ed. Schwartz, PWRE IV 2 p. 2050 sq., s. Damastes 3.
3) vid. Orelli, l. c. p. 265.
4) vid. Obens, p. 33.

incidit: dicit Alexandrum Graecos certiores fecisse de Aleuadarum et Thessalorum proditione; atque vero ex Herodoto[1]) scimus hunc regem tantum Graecis, ut pedem referrent, suasisse, Thessalos autem a Graecis auxilium petisse, cum Aleuadarum reges soli Xerxem secuti sint. Ex utraque re auctorem huius epistulae posteriori aetati addicendum esse certum est; neque tamen sine ullo iure ei has res afferre licuit: rhetor qui nonnulla quae noverat beneficia Macedonum regum proferre voluerat, Alexandrum regem ad id, quod sibi proposuerat, elegerat: qui propter amicissimum erga Graecos animum cognomen Φιλέλλην acceperat. Nescio an accedat, quod epistolographo non ignotum fuerat Thessalos post Graecorum recessum statim atque libenter Persas secutos esse (cf. Herodot. VII 174: Θεσσαλοὶ δὲ ἐρημωθέντες συμμάχων οὕτω δὴ ἐμήδισαν προθύμως οὐδ' ἔτι ἐνδοιαστῶς, ὥστε ἐν τοῖσι πρήγμασι ἐφαίνοντο βασιλέϊ ἄνδρες ἐόντες χρησιμώτατοι). Quin etiam Thessalos iam tunc, si Graeci non auxilio venissent, Persis se subiecisse, ex verbis illis accipimus, quibus Thessali allocuti sunt Graecos in Isthmo collectos — unde elucet Heracleum Atticum non intellegendum esse, cf. quae infra disputabimus)[2]). Adhoc non dubitari potest, quin magna atque periculosa fuerit res Alexandri legatos patre invito interficiendi. Nimirum is qui Macedonum partem sequitur, non delicta regis commemorat, sed in his atque eis quae sequuntur verbis id unum spectat epistulae auctor, quod ipse exprimit § 8 verbis: ταῦτά ἐστιν λόγοι δυνάμενοι τὴν σὴν ἀρχὴν ὠφελεῖν.

1) VII 172 sq.

2) Legatorum verba sunt haec (VII 172): *Ἄνδρες Ἕλληνες, δεῖ φυλάσσεσθαι τὴν ἐσβολὴν τὴν Ὀλυμπικὴν, ἵνα Θεσσαλίη τε καὶ ἡ σύμπασα ᾖ Ἑλλὰς ἐν σκέπῃ τοῦ πολέμου. ἡμεῖς μέν νυν ἕτοιμοί εἰμεν συμφυλάσσειν, πέμπειν δὲ χρὴ καὶ ὑμέας στρατιὴν πολλὴν, ὡς εἰ μὴ πέμψετε, ἐπίστασθε ἡμέας ὁμολογήσειν τῷ Πέρσῃ· οὐ γάρ τοι προκατημένους τοσοῦτο πρὸ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος μούνους πρὸ ὑμέων δεῖ ἀπολέσθαι. βοηθέειν δὲ οὐ βουλόμενοι ἀναγκαίην ἡμῖν οὐδεμίαν οἷοί τέ ἐστε προσφέρειν· οὐδαμὰ γὰρ ἀδυνασίης ἀνάγκη κρέσσων ἔφυ. ἡμεῖς δὲ πειρησόμεθα αὐτοί τινα σωτηρίαν μηχανώμενοι.*

Nonnulla verba mihi liceat facere de illis, quae leguntur in paragrapho quarta: ὕστερον δὲ στασιαζόντων τῶν βαρβάρων εἰς τὸ ἡμέτερον (ὑμέτερον?) Ἡράκλειον ἀπήντησαν. Orellius (l. c. p. 264) proposuit legendum εἰς τὴν ἡμετέραν Ἡρακλείαν, i. e. in urbem illam Pthiotidis prope sinum Maliacum et Thermopylas sitam[1]). Atque si legimus apud Herodotum (VII 172) Graecos usque ad Halum urbem navibus vectos esse, unde pedibus per Thessalorum fines migrassent, mea sententia non aliud Heracleum intellegitur atque illud, quod extremis Pieriae terrae atque Thessalorum finibus situm esse referunt Scylax[2]) et Plinius[3]); ad hoc quoque quadrat, quod Herodotus narrat Graecos usque ad extremos Thessalorum fines profectos esse, ubi ad eos, qui cum Thessalis se coniunxerant, Alexandri consilium pervenit. — Verba quae sequuntur de Olynthiorum adversus Philippum criminationibus, ubi auctorem epistulae ordinem temporum non servasse iam Obens (p. 33sq.) iudicavit, ostendere videntur rhetori notum fuisse eo anno quo Philippus contra universas Graecas civitates et barbaros castra habuit, Olynthiis bellum non illatum esse. Accedit, quod epistolographus haec verba afferens nil aliud in animo habuerit nisi ut illustraret criminationes Olynthiorum, ut omnino omnium civitatum Graecarum refellendas esse, cum Philippus optimo iure illorum fines occupare posset (cf. verba περὶ μὲν γὰρ τῆς γινομένης Ὀλυνθίας χώρας, ὥς ἐστι τὸ παλαιὸν Ἡρακλειδῶν, ἀλλ' οὐ Χαλκιδέων). — Totam Olynthiorum rem Pseudospeusippus arcessivit, ut res fabulosas quae sequuntur pronuntiare posset[4]). Quibus in referendis, quas non omnes testari possumus, auctorem epistulae compendio aliquo mythologico usum esse vel Antipatri libros inspexisse verisimile videtur, quibus demonstrabatur non modo Chalcidicen

---

1) vid. etiam C. G. Boehnecke, l. c. p. 467, adn. 2.

2) apud Livium XLIV. 8.

3) natur. histor. IV. 10.

4) Pro *Δικαίῳ, τῷ Νηλέως ἀδελφῷ* legendum est *Δικαίῳ τῷ Σύλεως ἀδ.*, cf. Conon. narrat. 17.

paeninsulam, sed etiam multos alios agros, ut Lacedaemoniorum, Toronaeorum, Edonum, esse Heraclidarum[1][2]).

Nullum inveni testem, qui Aristomachum Tmolo et Telegono successisse confirmat; praeter hoc quae Antipater refert de Hercule in regione Ambracica versante, nullo argumento testari possumus. Comperimus, quod pertinet ad Ambracicae terrae mythologicas res, ex hac epistula Herculem Clidem eiusque filios — et Clidis et filiorum eius nomina nota non sunt — occidisse et Ladicae et Charattae (itidem nomina plane ignota, Λάδικος est Acharnensis quidam apud Polybium IV 80 nominatus) regionem Ambracicam commisisse. Nemo iam negabit in his verbis illius regionis mentionem facientibus gravia atque memoratu digna quaedam latere; ad hoc Antoninus Liberalis[3]), qui deprompsit haec e Nicandri libro, qui inscribitur Ἑτεροιούμενα, et Athanadae Ἀμβρακικά, refert Herculem dixisse Ambraciam et totam Epiri regionem suam esse, postquam Celtas, Chaones, Thesprotos, qui sibi bellum intulissent, superavit, postea autem colonos Corinthios renovasse agros deletos, ex quo probabile mihi videtur Clidem eiusque filios — ut sint nomina vera neque corrupta, quae libenter putemus — in numero illorum fuisse, quos interfecerit Hercules. Atque perinde statuendum est Ladicam et Charattam eos viros fuisse, qui illis interfectis imperium huius terrae obtinuerunt. — Quae de Edonibus profert epistolographus ‹ἀλλὰ μὴν καὶ τὰς ὑπογυίους Ἀλεξάνδρου τῆς Ἡδωνῶν χώρας

1) Ceterum Herculis posteros condidisse Spartam et Argos et occupasse Lacedaemonem et Messenen ex Isocrate ipso accipimus (Panegynic. c. 16. Archidam. c. 7. 11).

2) In paragr. 7 epistolographus docet Herculem interfecisse Protei filios, quorum nomina sunt *Τμῶλος* et *Τηλέγονος*; idem fere affirmat Apollodorus (Bibl. II 5, 9): *ἐκ Θάσου δὲ ὁρμηθεὶς* (i. e. Hercules) *ἐπὶ Τορώνην, Πολύγωνον καὶ Τηλέγονον τοὺς Πρωτέως υἱοὺς . . . κατὰ τὴν πάλην ἀπέκτεινεν*, ubi Tmoli nomen cum Polygoni commutatum esse videmus. Sed etiam scholiasta ad Lycophronis Alexandram (v. 124 *τέκνα δὲ του Πρώτεως, Τμῶλος καὶ Τηλεγόνος*) „Tmolum" habet.

3) c. 4. vid. FHG IV 343 sq. C. G. Boehnecke, l. c. p. 472 adn.

κτήσεις Μακεδόνες πάντες ἴσασι› alio quoque loco non leguntur. Neque vero traditur illos iam Alexandri temporibus subiectos esse, cum pars quaedam huius gentis ad Strymonem flumen se recipere prioribus iam temporibus a rege quodam Macedonum coacta sit[1]).

Rhetoris atque artificiose videtur mihi dicendi ratio quoque modo composuerit narrationes has epistolographus, qui mox de altera regione verba fecit, mox de altera. Item utitur primo verbis περὶ τὴν Ἀμφιπολιτικὸν τόπον, deinde τὴν Φυλλίδα χώραν, denique τὴν δὲ Ἀμφιπολῖτιν, tamquamsi eadem regio intellegitur. Eandem narrandi rationem conservavit auctor verbis quae subsequuntur, dicens primum Σπάρτην, tum ἐν Σπάρτῃ, postremo τὴν Λακωνικήν — ἐν Παλλήνῃ, Ποτιδαίαν δὲ καὶ τὴν ἄλλην Παλλήνην, denique iterum Παλλήνην. Propria quoque ei est conscribendi ratio haec: quotienscumque nominaverit duas regiones, quem interfecerit quemque in illius loco posuerit Hercules, certiores nos facit.

In Antipatri scriptoris libro epistula Socratica docet actum esse etiam de Amphictyonibus; ac primum quidem epistulae auctor ex eo scire vult, quo modo primum congressi sint Amphictyones (τίνα τρόπον πρῶτον οἱ Ἀμφικτύονες συνέστησαν); qua de re si nonnulla attulisset, haudquaquam neglegenda fuissent, quod pauca tantum neque gravia quaedam scriptores antiqui nobis servaverint. At perscrutantes quae tradit Antipater de Amphictyonum nonnullorum rationibus, videmus res fabulares insertas esse, ut etiam illi primum Amphictyonum congressum testanti diffidamus. Attamen auctor est de antiquissimis temporibus, cum de Phlegyis Dryopibusque ut Amphictyonibus sermonem faciat. Quibus de causis ex Amphictyonum consessu digressi sint, hac quidem epistula nil aliud exhibetur nisi quae veteres in fabulas intexerant; has autem gentes propter maligna et scelera, quae commiserant, ab Amphictyonibus excisas esse vero

1) cf. Otto Abel, Makedonien vor König Philipp, Lips. 1847, p. 68. 144.

propius est[1]). Quae de Ph egyis ab Apolline et Dryopibus[2]) ab Hercule punitis audimus[3]), etiam aliis testimoniis confirmantur, neque vero eos Amphictyonas fuisse; quare ambiguum non esse videtur, quin epistulae auctor novi aliquid nobis servaverit. Pro vero constat, quod dicit epistolographus de Crissaeis ab Amphictyonibus a. 391/90 deletis, cuius rei testis est Strabo IX p. 416.

Denique ad ultima quae ad Amphictyonum congressionem spectant, verba accedamus: ἕτεροι δὲ τὰς τούτων ψήφους λαβόντες τῆς τῶν Ἀμφικτυόνων συντελείας μετέσχον, ὧν ἐνίους σέ φησι μεμιμῆσθαι καὶ λαβεῖν ἆθλον Πυθίοις τῆς εἰς Δελφοὺς στρατείας παρὰ τῶν Ἀμφικτυόνων τὰς δύο Φωκέων ψήφους; eadem tradunt Diodorus Siculus XIV 60 et Pausanias X, 3,3. Obens, qui iudicat p. 35 ‹At Philippus illa suffragia non Pythiis anni 346 accepit, sed iam antea, statim post bellum Phocensium compositum› neglexit inspicere tabulas ἱερομνημόνων, i. e. inscriptiones illas nuper editas[4]), quibus commutationes eas, quae factae sunt anno 346, accurate atque diligenter examinare possumus quibusque docemur ea, quae dicunt Pausanias et Diodorus et epistulae huius auctor, vera non esse: refutatur enim Philippum accepisse Phocensium voces, quas Delphici impetraverunt[5]). Nam quia Delphici in Am-

---

1) cf. H. Bürgel, Die Entstehung der delphischen Amphiktyonie, p. 11 sq.

2) W. G. Soldau, Rhein. Mus. VI p. 421 sq.: Die Dryoper.

3) Busolt, Griech. Gesch. I², p. 683, quia in Aeschinis oratoris tabula, quae Amphictyonum nomina continet, Dryopes non inveniuntur, Amphictyonas primum congressos esse post migrationem illam, quae Dorica vocatur, declarat. Hanc sententiam non comprobemus, quod Dryopes prioribus iam temporibus in Amphictyonum numero fuisse verisimile est.

4) E. Bourget, Bulletin de correspond. hellén. XX, p. 197 sq. XXI 321 sq.; cf. etiam PWRE s. art. *Δελφοί*. Kaerst, Gesch. d. Hellenismus, I, p. 172. Dittenberger, Sylloge² 140, Griech. Dialektinschriften 2502. 2504.

5) cf. Kaerst, Gesch. d. Hellenismus, I, p. 172, adn. 3. Etiam quod Pausanias tradit Lacedaemonios illa aetate non admissos esse, his inscriptionibus redarguitur.

phictyonum tabula post Philippum nominati sunt et utraque gens, Perrhaebi et Dolopes, unam tantummodo vocem habet, Delphicos illas Phocensium voces abstulisse probabile est, cum Philippus, ut integer esset numerus sacer 24, et Perrhaebis et Dolopibus unam desumpserit vocem[1]).

Itidem hoc constare videtur Philippum in Amphictyonum collegium receptum esse non Πυθίοις (suppl. ἀγωνίσμασι), sed postquam in concilio Amphictyonum, ut Philippus, Macedonum rex, ludos Pythicos ageret, constitutum est. Atque cum pacem mense Julio factam proximo vere auctumno Amphictyonas Philippi auspiciis Delphos convenisse constet, colligitur pylaeam auctumnalem primam post pacem factam in annum Delphicum 346/5 incidisse. Qua in re fieri potuit, ut duo haec concilia, dico Amphictyonum congressionem et ludos Pythicos, in idem fere tempus incidissent, ut auctor epistulae laudes regis duplici ratione distincti efferre voluerit.

Nunc inquiramus in Speusippi verba quibus reprehendit Philippum Platoni obtrectantem, quasi ignorantibus hominibus Platonis beneficio Philippum ad regnum pervenisse. Similia dicit, ut supra commemoravimus, Carystius Pergamenus in commentariis suis ab Athenaeo XI 506 E arcessitis. Quaestio est, num Plato vere auctor fuerit imperii Philippi. Nihil habemus, quod infitiemur Philippum a Perdicca fratre partem regni administrandam accepisse, postquam Plato per Euphraeum Perdiccae suasit, ut avaro et rapido fratri regni partem cederet. Sin autem dicit epistulae auctor § 12 εἰ μὴ γίνοιτο παρ' ὑμῖν ἀνήμερον ἢ μὴ φιλάδελφον, sane haec verba spectant ad maligna regis post Perdiccae mortem confecta (vid. etiam Suidam s. v. Φίλιππος: Φ. ὁ Μακεδὼν πολλοὺς τοῦ ζῆν ἐπεστέρησε καὶ τοὺς υἱέας συμπεριέλαβεν, ἐπιφθεγξάμενος τὸν στίχον τοῦτον· Νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας υἱοὺς καταλείπει). Epistula 31 Socratica ficta esse videtur a Platone ad Philippum data, qua principi ut amet fratrem et revereatur suadet — ceterum

1) cf. Obens, p. 35 adn. 3 atque Diodori et Pausaniae verba, quae commemoravi.

haec epistula nihil aliud nisi commentariolum ad verba epistulae quae antecedit, εἰ μὴ γίνοιτο παρ' ὑμῖν ἀνήμερόν τι ἢ μὴ φιλάδελφον esse videtur. — Fortasse qui epistulam 30 conscripserit, auctore usus est Carystio Pergameno, qui verbosius de hac re locutus erat.

Totam rem sine dubio non contemnendam sic illustrem: Plato imperium Philippi confirmaverat (τὴν ἀρχὴν τῆς ἀρχῆς κατασκευάσαντος) Perdiccae persuadens ut Philippo aliquam regni partem cederet. Illic copias alens fundamenta iecit potestatis suae Philippus. Epistula 31 ficta est ut scriptio quaedam ad Philippum data, postquam regni partem suscepit, in qua Plato eum adhortatur, ne ingratus sit erga fratrem. Num Philippus iam tunc crudelis fuerit, nescimus, sed ex verbis ep. 30 διὰ τέλους χαλεπῶς φέροντος hoc conicere licet. Sane autem haec verba (pro διὰ τέλους legendum videtur διατελῶς) referenda erant ad scelera post Perdiccae mortem a Philippo commissa. Quam ob rem Platonem etiam postea verba fecisse in epistulis ad regem datis arbitrari possumus. —

Ad verba quae extrema paragrapho leguntur ἐπὶ μὲν γὰρ 'Αμφιπόλεώς φησιν κωλῦσαι τὴν γενομένην εἰρήνην γράψαι λόγον ὑπὲρ τῆς Ἡρακλέους ἀθανασίας Obens animadvertit: „haec verba spectare ad secundam paragraphum orationis ad Philippum missae, in qua dicit se bello de Amphipoli gesto suscepisse de illa urbe et terra scribere, et propter pacem factam se orationem non edidisse." Neque iure pergit dicens: „Sed Isocratem de immortalitate Herculis scribere voluisse invenit rhetor"; nam alio loco de hoc proposito idem verba facit, in capite 12. Restat, ut utrumque locum coniungamus.

Postquam uberius de his rebus disputavimus, superest, ut iudicemus quando a quoque epistula conscripta sit; nam ex omnibus, quae attulimus, apertum est Speusippum eius modi litteras scribere non potuisse, quippe cum multa neque in Philippum neque in Speusippum quadrare videantur atque multa occurrant, quibus temporum ordo non servatus est. Huc accedit, quod nonnulla vocabula, quae in epistula hac

inveniuntur, illis temporibus non confirmari atque posteriori aetati attribuenda esse. Ego igitur sententiam eorum comprobo, qui epistulam hanc a rhetore quodam posteriore fictam esse concluserunt. Iudicium posteriorum temporum etiam inde intellegitur, quod duobus locis, in paragrapho quarta et paragrapho decima, auctor epistolae commemorat artes rhetoricas Isocratis, quae servatae non sunt. Quas Isocrati ipsi non attribuendas esse hodie multis viris doctis persuasum est[1]. Ut plurimi scriptores veteres posteriorum temporum artem rhetoricam, quae Isocratis iniuria habebatur, veram esse arbitrabantur, ita etiam epistolographus artes rhetoricas, quas affert, ab Isocrate vivo compositas fuisse putabat. Optimo iure suspicari possumus eum iis artibus rhetoricis usum esse, quas posterioribus demum temporibus confictas esse constat.

Porro respiciendum est varia hac epistula allata esse, quae nos certiores faciant de simultate, quae fuerit inter Speusippum et Isocratem eiusque discipulos, de stemmatibus genealogicis et rebus historicis atque litterarum studiis illius aetatis. In suspicionem vocandum est epistolographum epistulam Speusippi veram cognovisse. — Tametsi plurima quae in epistula narrantur ab hoc ab illo commemorantur, tamen in hac epistula nonnulla sunt, quae alibi frustra quaeras atque ad res magis perquirendas nos adhortentur. Itaque si hoc constituimus, epistulam complecti haud multa quae memoratu digna sint dicere nolumus.

Pars tertia.

Extrema huius dissertationis parte uberius mihi proposui disserere de epistulis 35 et 36 (p. 634 sq. Herch.), quibus servatae sunt plurimae res, quas alibi non inveniamus, quaeque abundant scommatibus totque aenigmatibus, ut neque Alla-

1) De arte rhetorica Isocratis vid. imprimis G. Thiele, Hermes XXVII (1892), p. 11 sq. Fr. Leo, Griech.-röm. Biographie, p. 56 sq.

tius neque Orellius ad sententias auctorum epistularum rite capessendas nimium afferre potuerint nobisque ad hunc diem restent varia, quae interpretari non possimus. Accedit, quod codices manuscripti quibus servatae sunt hae epistulae, eadem praebent menda, ut nihil fere ad textum restituendum proficiamus. Attamen si respicimus quae protulerant Allatius et Orellius in epistulis his commentandis, hodie ad tenebras levandas permulta, quae illis viris obscura videbantur, collata sunt, praecipue Rudolpho Hercher et Constantino Ritter in has epistulas inquirentibus. Nam cum illi cui tribuerent epistulas non haberent[1]), Hercher in Hermae t. VI[2]) epistulam 35 datam esse a Speusippo ad Dionem statuit, cum epistula quae subsequitur a Dione ad Speusippum missa fingeretur. Quam Hercheri sententiam plane comprobari non posse mox cognoscebatur. Eduardus Meyer[3]) epistulam 36 a Dionysio minore missam esse fingi ad Speusippum pronuntiavit. Hoc iudicium pro vero constare censeo; in alia autem re dissentitur, cui tribuenda sit epistula 35, praesertim cum Constantinus Ritter copiose disserens de epistulis quae Platoni et Speusippo adiudicantur, in eo libro, qui titulum prae se fert „Neue Untersuchungen über Platon[4])," multa melius ad Dionysium quam ad Dionem scripta videri arbitratus sit. Finem facit quaestionis hunc[5]): „Unter diesen Umständen kann ich nicht umhin, mein Endurteil dahin abzugegben, daß vermutlich beide Schriftstücke, 35 und 36, von denen keines ganz befriedigend erklärt werden kann, gefälscht sind, so wie das ja auch die allgemeine Überzeugung der Gelehrten zu sein scheint. Die schwache Möglichkeit bleibt aber doch bestehen, daß Brief 35

1) Nescio qui tribuerit hanc epistulam Aristippo Cyrenaico, non alia causa commotus esse videtur nisi quod putabat auctorem esse eundem atque epistulae Socr. 8 itidem plenae scommatibus.

2) pag. 55.

3) Gesch. d. Altertums, V, p. 531 A.

4) Monach. 1910, p. 327—424. De epistulis Socraticis 35 et 36 agitur pgg. 382—397.

5) p. 397.

für sich echt wäre und dann allerdings als Brief des Speusippos an Dion anzuerkennen ist." Mihi quidem utramque epistulam non veram sed fictam esse persuadetur, neque vero assentiar Constantino Ritter, qui nonnulla ad Dionysium referre mavult, quae item et melius ad Dionem spectant. In determinandis epistularum auctoribus et rebus singulis recte percipiendis quin ad usum meum suo loco arcessam, quae Hercher et Ritter iam dixerunt, facere non possum. Obens, qui de his epistulis nulla fere verba, ut ante commemoravi, fecit, dicendi rationem comparans has etiam posteriori aetati attribuendas esse coniecit[1]).

Ac primum quidem quaeramus quis scripserit epistulam 35, ad quemque missa, tum quando scripta fingatur. De auctore utraque epistula diiudicata postremo deliberabimus. Scriptores posteriores cum perscrutemur, apud neminem alium inveniuntur verba, quae ex epistula quadam deprompta esse videntur, nisi apud Plutarchum, ubi legimus (Moral. p. 70 A (de adul. et amic.): Τοιαῦτα τὰ Κύρου πρὸς Κυαξάρην, καὶ τὰ πρὸς Δίωνα Πλάτωνος, ὅτε λαμπρότατος ἦν καὶ πάντας εἰς ἑαυτὸν ἀνθρώπους ἐπέστρεφε, διὰ τὸ κάλλος τῶν πράξεων καὶ τὸ μέγεθος, παρακελευομένου φυλάττεσθαι καὶ δεδιέναι τὴν αὐθάδειαν, ὡς ἐρημίᾳ ξύνοικον. Ἔγραφε δὲ καὶ Σπεύσιππος αὐτῷ μὴ μέγα φρονεῖν, εἰ πολὺς αὐτοῦ λόγος ἐστὶν ἐν παιδαρίοις καὶ γυναίοις, ἀλλ' ὁρᾶν, ὅπως ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ καὶ νόμοις ἀρίστοις κοσμήσας Σικελίαν εὐκλεᾶ θήσει τὴν Ἀκαδημίαν, quae simillima sunt ep. 35 verbis: πάνυ δὲ πολλοῦ ἐτιμησάμην ἂν ἀπὸ μηχανῆς θεωρεῖν πότερον ἐκεῖνο τὸ σχῆμα διατελεῖς ἔχων ἢ γέγονας ἡμῖν σεμνός τε καὶ αὐθάδης, ὅτι διαλέγεται περὶ σοῦ τὰ παιδία ἐν ταῖς ὁδοῖς καὶ Πολύξενος ἐν τοῖς πορθμείοις καθήμενος καὶ οἱ ποιμένες ἐν τοῖς ὄρεσι . . . καὶ τὴν Ἀκαδήμειαν κοσμήσεις, ὥστε . . . Inde apparet, ut iam Hercher[2]) cognoverat, epistulam 35 a Speusippo ad Dionem, Dionysii tyranni adfinem, missam esse. Praeter hoc eodem

1) pag. 41.
2) Herm. t. VI (1872), p. 55 sq.

Plutarchi loco Platonis ad Dionem commemorantur verba, quae in epistula Platonis quarta[1]) reperiri demonstrari iam potuit: μὴ οὖν λανθανέτω σε, ὅτι διὰ τοῦ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις καὶ τὸ πράττειν ἐστίν, ἡ δ' αὐθάδεια ἐρημίᾳ ξύνοικος. Itaque si hanc epistulam Platoni ipsi vindicaremus, optimo quoque iure epistulam Socraticam ingeniosissimo illi philosopho adiudicare possemus, cum in utraque epistula inveniantur complures loci similes atque omnia, quae hac epistula tractantur, eodem modo spectent ad Platonem atque ad Speusippum; sed quod epistula illa Platonica non conscripta esse videtur a philosopho, ut infra patefaciemus[2]), epistulam Socr. 35 bono iure Speusippo addicemus, praesertim cum exstent varia veterum testimonia, quibus illum Dionis familiaritate usum esse illustratur[3]) eumque adhortatum esse, ut Dionysium ulcisceretur, ut etiam quod iam epistulae 36 auctor verba ὁμολογῶν αἴτιος εἶναι τοῦ ἐς Σικελίαν στόλου ad Speusippum rettulit. Accedit, quod argumentum huius epistulae optime spectat ad indolem Speusippi, qui a Plutarcho[4]) ἀγαθὸς σκῶψαι appellatur. Speusippum esse auctorem assentitus est Constantinus Ritter, qui ut supra diximus, valde dubitat omnia, quae hac epistula comprehenduntur, ad Dionem referre, quod multa ad Dionysii personam melius accomodata sint quam ad Dionem, arbitratus epistulam totam ab adversario quodam acerbo excogitatam magnas ironiae partes amplecti, vid. l. c. p. 392sq. At minime fieri potuit, ut epistulam ad Dionysium emissam esse cogitemus. Extremis enim epistulae verbis Dionysium non esse, qui vocatur, plane ostenditur, cum Speusippus se expeditionis incipiendae auctorem fuisse confiteatur atque auxilium et amicitiam perpetuam polliceatur familiari suo, qui diu in

---

1) pag. 321 B.

2) pag. 94.

3) Plut. vit. Dion. c. 17, 22, 35; vid. Ad. Holm, Gesch. Siziliens, 1874, II 156sq. 452sq.

4) vit. Dion. c. 17.

Academia versatus erat, cf. verba γίνωσκε δὲ ὅτι πολλοὺς οἶμαι φανεῖσθαι τοὺς ἑτοίμους ὄντας συνεπιμελεῖσθαι · τῶν ὑπαρχόντων, ἐάν σοι φαίνηται τὰ παρ' ἡμῶν κατὰ τὸ προσῆκον ὑφηγούμενα. τὰ δὲ παρ' ἡμῖν ἔχει παραπλησίως ὥσπερ καὶ ὑμῶν ἐπιδημούντων[1]). Haec atque verba antecedentia, quae haud dubie inter se cohaerent, ad auctorem quendam amicissimum, non ad adversarium spectare Ritter neglexit. An auctor eum, cui scribit, mox familiarem mox inimicum habuerit, quis est qui putet? Quare non ambiguum esse potest, quin nemo alius nisi Dio hoc loco intellegatur, quem Speusippum adiuvasse iam diximus. Perinde verbis πυθόμενος τὰς παρὰ Διονυσίῳ συνουσίας de Siculorum rege cogitari negandum est[2]). Certe obstat, quominus auctor epistula ineunte pronuntiavisse se esse πρὸς παιδιὰν ἀνειμένος; at existimo eum iocis usum esse non ut inveheretur in Dionem, sed solum ut epistulam exornaret varias inserens sententias (ut de Geryoneo, de κακοζηλίᾳ Dionysii, Homeri versus et cet.). Irrisu insectans beneficia quae dicebantur tyranni, infestum contra eum animum profert, cum Dione etiamsi adhortanti animo, attamen amicissime utatur: neque enim verba τουτὶ τὸ νεανικόν ἐστι καὶ ἀγητόν; οὐ δήπου inimicum testari videntur animum philosophi obiurgantis, qui discipulum Academiae, cui multum intererat ille, non rectam viam ingredi intellexit.

Statuimus verbis epistulae Socr. 35 similia a Plutarcho ad Dionem missa commemorari, neque quicquam habemus, quod testi illi diffidamus, praesertim cum epistula 4 Platonica

1) Ritter, p. 395 haec verba declarare vult ita, ut Dionysius pulsus Athenas migraverit Corintho, post a. 346, quod valde quaesitum mihi videtur. Atque ut postea videbimus, respici non potest illud tempus. Qua ratione Philistionem et Echecratem ex Syracusanorum urbe dimittendos interpretari vult?

2) Dicat fortasse quispiam, etiam in ep. 36 nomen eius, cui verba mittuntur, vocari; sed cum ad ep. 35 Dionysii nomen non quadret, in ep. 36 Speusippus et Lastheniae una nominantur ironice, quae res nihil offensionis habet.

eadem et plura alia afferantur, quae ad neminem alium nisi ad Dionem spectant. Utriusque epistulae auctor Dioni suadet, ut caveat σεμνότητα et αὐθάδειαν, quae indoles Dionis propria erat. Nihil igitur obstat, quominus ad Dionem haec verba missa putemus.

Alter locus, quem Ritter ad Dionysium magis referendum esse dixit, est hic: ἐγὼ δὲ οὔπω σε μιμνήσκω τῆς ἐπιστολῆς ἣν ἔγραψας πρός ἐμέ, ὅτι αἴτιος εἴην ἐγὼ τοῦ ἐπιμεληθῆναι τὴν πρᾶξιν ταύτην καὶ μὴ ἀνεθῆναι, καὶ ἔφης καλῶς ποιεῖν, εἰ καὶ αὐτὸς ἀνεχοίμην ἀπορίας καὶ πραγματείας; quae verba Ritter declarare conatus est ita, ut Dionysius philosopho crimini dedisset, quod Dionem adiuvaret, atque ironice animadvertisset se delectari, si Speusippus ipse interesset laboribus et expeditioni, qua re Speusippi morbus, de quo iam locuti sumus, notaretur. At quaeramus, num Dionysius Speusippo scribens usus fuerit eius modi verbis. Minime vero puto: in epistula 36, qua Dionysius Speusippo respondens inducitur, regi Siculorum multo alia vehementiora et magis ironica verba attribuuntur. Praeter hoc a vero non abhorrere videtur Speusippum has litteras scribentem valde iratum fuisse atque inmitibus verbis de Dionis moribus corrigendis et Academiae auctoritate conservanda verba fecisse. Atque si cum Rittero existimaremus verba quae ad scholam Academicam spectant, ad Dionysium referenda esse, nullo modo excusari posset Speusippum hac ratione scholae Academicae obtrectasse blandientem viro inimicissimo atque maledicentissimo; quae cum verisimilia omnino non sint, Dionem intellegendum esse, ad quem omnia huius epistulae verba referre possumus, certo dici potest. Fortasse Dio in litteris ad Speusippum datis, quibus illum auctorem esse expeditionis contra Dionysium factae protulerat, se gavisum esse dixerat, si Speusippus ipse bello interfuisset, i. e. germanice: Ich hätte mich gefreut, wenn Du an meinem Sieges- und Rachezug hättest teilnehmen können und mir Rat und Beistand gewesen wärest. Num haec verba pertineant ad Speusippi morbum, haud scimus,

sed forsitan e verbis καὶ καλῶς ἔχειν sententia nascatur: leider geht es ja nicht. Quae cum ita sint, emendatio Ritteri μεμηνιμένως, quae vox uno tantum loco Platonis[1]) legitur, supervacanea esse videtur[2]).

Cetera quoque, quae epistula hac praebentur, ad Dionem optime accomodata sunt. Miror, quod Ritter non in eo offendit, quod cum in epistula 2 Platonica Dionysius a Platone atque Speusippo ut Philistionem[3]) dimittat rogetur, hoc loco Dio appellatus sit; sed Dionysium non intellegendum esse iterum refutare possumus: usus est auctor epistulae ad Dionem missae confidenter futuri temporis forma ἀποπέμψετε — pluralem formam adhibens auctor epistulae appellat Dionem simulque familiares eius[4]), cum Dionysius medicum illum non dimiserit[5]).

Quando scripta fingatur epistula 35, ex eis quae epistula ipsa continentur, concludere liceat. Qua in re perquirenda non dubitari potest, quin verbis συγχαίρω τοῖς Συρακουσίοις, ὅτι πέπαυνται ... nihil aliud dictum sit nisi Dionysium minorem pulsum esse Syracusis, quod primum, ut inter omnes constat, factum est a. 358/7. De rege iterum eiecto (a. 346) cogitari non potest, quia Dio, cui mittitur epistula haec, mortuus est iam a. 354/3. Ceterum quo tempore scripta esse fingatur epistula, definitur verbis οὔπω σε μιμνήσκω τῆς ἐπιστολῆς, ἣν ἔγραψας πρὸς ἐμέ, ὅτι αἴτιος εἴην ἐγὼ τοῦ ἐπιμεληθῆναι τὴν πρᾶξιν ταύτην ...., unde elucere videtur expeditionem Dionis contra Dionysium factam, quae orta est a. 360, inchoasse (simul statuendum est haec verba ficta esse ante alteram Dionysii tyrannidem), cum verbis τότε - νῦν diutius esse interiectum tempus indicetur. Itaque opinari possumus

---

1) ep. III p. 319 B; cf. Ritter, p. 399, adn. 87.

2) Particula νῦν et τότε commutabimus, ut proposuit Ritter, p. 390.

3) de Philistione, medico Locrensi, vid. p. 97.

4) cf. varias epistulas Platonis ad Dionem missas.

5) vid. pag. 85.

a. 357 epistulam iam scriptam esse eo tempore quo Dio in urbe Syracusanorum versabatur: epistulam enim missam esse ad Dionem, postquam principatum assecutus est, verbis, quae legimus de Philistione et Echecrate dimittendis, confirmatur[1]). Si igitur auctor epistulae extremis verbis Dionem eiusque amicos ut scribant de auxilio arcessendo adhortatur, fortasse apparet Dionis imperium tunc firmo statu caruisse; simili ratione autem Speusippus consilia et bona praecepta ad potestatem recte adhibendam obtulisse videtur. Epistulam igitur, quam dederat Dio antea Speusippo, brevi ante vel post expeditionem inchoatam scriptam esse fingi vero proximum esse videtur. Qua de re censeo epistulam 35 Socr. ca. annum 357 conscriptam esse fingi.

Eodem modo, quo epistulae 35 quis sit auctor ad quemque missa fingatur contemplati sumus, de epistula 36 quaeremus, cui vindicemus; quod haud multum praebet difficultatis, quia hodie dubium non est, quibus nominibus epistula praescripta fuerit; neque enim ullum effugiet Rudolphum Hercher, qui inscripsit has litteras Δίων Σπευσίππῳ valde errasse, cum hic familiarissimus et Academiae et Platoni et Speusippo nequaquam in philosophum hunc inveheretur talibus opprobriis et ludibriis[2]). Unum et solum Dionysium minorem hanc epistulam conscribentem fictum esse nos concedere oportet: habemus enim nonnulla scriptorum veterum testimonia, ex quibus elucet varia quae epistula 36 Socratica in lucem prolata sunt, simillima inveniri in epistulis Dionysii ad Speusippum datis. Legimus enim apud Athenaeum VII p. 279 E: ἦν καὶ Σπεύσιππος ὁ Πλάτωνος ἀκουστὴς καὶ συγγενής· Διονύσιος γοῦν ὁ τύραννος ἐν ταῖς πρὸς αὐτὸν ἐπιστολαῖς καὶ τὰ τῆς φιληδονίας αὐτοῦ διεξερχόμενος ἔτι τε τῆς φιλαργυρίας ἐρανίζεσθαί τε παρὰ πολλῶν αὐτὸν διελέγχων ὀνειδίζει καὶ τὸν Λασθενείας τῆς Ἀρκαδικῆς ἑταίρας ἔρωτα ἐπὶ πᾶσίν

1) Utrumque apud Dionysium II moratum post regem expulsum domicilium non mutasse verisimile mihi videtur.

2) cf. etiam Ritter, p. 383 sq.

τε λέγει τάδε· σύ τισι φιλαργυρίαν ὀνειδίζεις αὐτὸς μηδὲν ἐλλελοιπὼς αἰσχροκερδείας; τί γὰρ οὐ πεποίηκας; οὐχ ὑπὲρ ὧν Ἑρμείας ὤφειλεν αὐτὸς ἐκτετικὼς ἔρανον συνάγειν ἐπιχειρεῖς; eiusdem scriptoris similia invenies XII p. 546 D: φιλήδονος ἦν καὶ Σπεύσιππος ὁ Πλάτωνος συγγενὴς καὶ διάδοχος τῆς σχολῆς. Διονύσιος γοῦν ὁ τῆς Σικελίας τύραννος ἐν τῇ πρὸς αὐτὸν ἐπιστολῇ κατὰ τῆς φιληδονίας αὐτοῦ εἰπὼν καὶ φιλαργυρίαν αὐτῷ ὀνειδίζει καὶ τὸν Λασθενείας τῆς Ἀρκαδικῆς ἔρωτα, ἥτις καὶ Πλάτωνος ἠκηκόει. De eadem re refert etiam Diogenes Laertius IV 2 haec[1]): Διονύσιος πρὸς αὐτὸν (i. e. Speusippus) γράφων τωθαστικῶς φησι· ›καὶ ἐκ τῆς Ἀρκαδικῆς σου μαθητρίας ἔστι καταμαθεῖν τὴν σοφίαν. καὶ Πλάτων μὲν ἀτελεῖς φόρων τοὺς παρ' αὐτὸν φοιτῶντας ἐποίει: σὺ δὲ δασμολογεῖς καὶ παρ' ἑκόντων καὶ ἀκόντων λαμβάνεις‹. Omnes hi loci spectant ad epistulae 36 Socraticae sententias duas, quarum altera est haec: ἀλλὰ τῷ μὲν ἥδεσθαι ὦ Λασθένεια καὶ Σπεύσιππος χρῆται, altera haec: ἵνα δὲ ἐπίσχῃς τὰ κατ' οἶκον ἐπιστόλια εὐτραπέλως γράφων οὕνεκεν τοῦ εὐκαταφρονήτου ἀργυριδίου, δι' ὅπερ καὶ ὑμεῖς Ἑρμείαν κολακεύοντες τολμᾶτε θεραπεύειν. Notatu dignum est et apud Athenaeum et Diogenem Laertium et epistulae Socraticae auctorem Speusippo obici eadem vitia, φιλαργυρίαν (i. e. avaritia, pecuniae cupiditas)[2]), quae profertur ut alia in versione ita in Hermiae[3]) commemoratione, et φιληδονίαν (i. e. cupiditas amandi),

1) cf. Diog. L. IV 1: Speusippum fuisse *ἡδονῶν ἥττονα*.

2) Non recte mihi videtur iudicare Ritter negans (p. 385) haec verba spectare ad Speusippi avaritiam, cum Athenaeo teste hoc satis confirmetur. Athenaei verba, quibus Speusippo crimini datur avaritia, sunt haec: *ὑπὲρ ὧν Ἑρμείας ὤφειλεν* . . . Qua ratione hic locus declarandus sit, iam Casaubonus docet, cf. Schweighaeuser ad Athen. VII p. 279 E; Ed. Zeller, Philos. d. Gr. IIa[4], p. 987 adn., qui refert hoc unum verum esse Speusippum collectionem fecisse, ut persolveret debita amici; cf. M. A. Fischer, De Speusippi vita, Rastad. 1845, p. 29 sq.

3) De Hermia Atarneo, ad quem data est epistula VI Platonica, haud multum scimus, cf. Natorp PWRE VIII 1 p. 831 sq. Zeller, IIa[4], p. 421, b p. 20 sq.

quae pertinet ad consuetudinem eam[1]), qua coniuncti fuerint Speusippus et Lasthenia. Accedit, quod loci, quos citavi, ad verbum fere congruunt inter se ita, ut dubitari non possit, quin ex epistulis Dionysii veris Speusippo missis hauserint auctores. Ex omnibus apertum est Speusippo maledicere conatum esse epistolographum, quod neque Lastheniae consuetudine[2]) turpiter usum neque pecuniae cupiditate comprehensum esse philosophum comprobari potest.

Etiam alia Speusippum in epistula 36 appellatum esse testantur. Habemus enim apud Diogenem Laertium IV 3 haec: φασὶ δὲ αὐτὸν (Speusippum) ἐπ' ἁμαξίου φερομένου εἰς τὴν Ἀκαδημίαν..., quae ep. 36 Socr. redduntur verbis: μηδὲ τὸ ἁμάξιον θεωρεῖν, ἐφ' ᾧ σὺ ἐκπορεύῃ. Accedunt, quae Speusippum ipsum inducunt: Σπεύσιππος .. αἴτιος τοῦ ἐς Σικελίαν στόλου ὁμολογῶν εἶναι .. Denique verba Κέκροπος[3]), ᾧ σὺ

1) Verbis utentem ἐν τῷ ἤπατι τῆς Ἑλλάδος κατοικοῦντά σε οὐδὲν λέληθε simile aliquid in animo habuisse scriptorem censeo; nam iecur non modo significat „Sitz des Lebens“, sed etiam „Sitz der Leidenschaften“. Plut. Moral. p. 450 F: περὶ τὸ ἧπαρ ἀρχῇ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ. cf. etiam Plat. Tim. Locr. p. 100 A. Ritter, p. 384. Notatu maxime dignum mihi videtur nullo alio loco urbem Atheniensium ita appellatam esse.

2) Omnia quae scimus de Lasthenia Arcadica, composuit iam a. 1739 Jo. Chr. Wulf, Fragmenta mulierum graecarum, quae oratione prosa scripserunt (ep. Socr. neglecta).

De consuetudine, qua usi sint Speusippus et Lasthenia, cf. Fischer, p. 31 sq. et Zeller, IIa[4], p. 987. Constare videtur omnium quae in Speusippum et Lastheniam facta sunt opprobriorum causam fuisse eorum amicitiam. Ceterum Speusippum fuisse amoris cupidissimum vix negari posse puto: forsitan ex hac re morbus eius declaretur, qui certo saepius ansam dederat ad philosophum consectandum et illudendum. — Arcessam etiam proverbium quoddam Ἀρκαδίην μ' αἰτεῖς, quod in cod. Bodleiano 200 (cf. Gaisford, Paroemiogr. graeci, p. 19) notatur verbis ἐπὶ τῶν μεγάλα ἀξιούντων λαβεῖν. — Consulto verba ἥδεσθαι et Λασθενία auctor per ludibrium composuit; atque certo legendum est ὦ Λ., qua re ironia etiam augetur.

3) Haec significatio opposita est epistulae 35: Φοίβου κοινώμασι βλαστόντος. — Κέκροπος βλαστών est Atheniensis quisque, Athenis natus, ut Κεκροπία erat nomen urbis Atheniensium. Ceteroqui praedico Platonem

οὐχ ὡς πατρὶ ὄντι — sic egregie emendavit Ritter lectionem haud idoneam, quam manuscripta exhibent πάτριον — ἐχαρίσω ad neminem alium nisi ad Speusippum referenda esse mihi persuadetur. — Omnia quae in hac epistula leguntur, ad Dionysium et Speusippum optime accommodata sunt. Ac summo iure Dionysio, Speusippi inimicissimo, irrisiones salutandi formularum[1]), obiurgationes dictas in scholae Academicae disciplinam et institutiones, alia addicere possumus. Facete dictum quoque de Lacedaemoniis Jonibusque quibusdam ad regem Siculorum, qui Lacedaemoniorum erat amicus, bene convenit.

Nimirum epistula 36, quae respondeat epistulae 35, post hanc scripta esse sumetur; sed quando conscribi ficta sit epistula 36[2]), accurate atque diligenter circumscribere et definire multum habet difficultatis, quia non certo scimus ad utrum spectent Dionysii verba, quae fecerit de philosophiae abusu et litteris falso cognitis, ad Platonem an Speusippum. Quod epistulae auctor usus est verbis εἰ μὴ ἔσται, de eo viro cogitandum esse, qui in illis rationibus peccavit, existimo. Inde apparet, si earum quae vitio versae sunt rerum quasdam referimus ad Platonem, nobis statuendum esse epistulam ante

---

se ipsum ita nominasse (ut Dionysium *Φοίβου βλαστόντα*) nusquam alibi tradi.

1) Verba *λέγω δή σοι εὖ πράττειν, εἰ ἄρα τοῦτό ἐστι τοῦ χαίρειν ἄμεινον, ὡς οὐκ ἔστιν· ἀλλὰ τῷ μὲν ἥδεσθαι ὦ Λ. καὶ Σπεύσιππος χρῆται* ad Platonem (cf. ep. Plat. 3 init. aliosque locos) melius accommodata videntur, qui scribens hac usus sit formula. Fr. Mullach, Frg. Philos. graec. III p. 66 Lastheniam et Speusippum, cum epistulas conscripsissent, re vera illam, quae hoc loco commemoratur, formulam adhibuisse coniecit. Mea autem sententia non aliud atque Speusippi cupiditatem significare vult epistolographus, pro *χαίρειν*, quod mavult, adferens vocem *ἥδεσθαι*. Per ludibrium adicit hanc ad usum suum convertisse Speusippum; neque vero dici potest eum unquam in epistula componenda hac salutandi formula usum esse; cf. etiam H. Usener, Epicurea, p. 131.

2) Ritter, p. 396 epistulam 36 scriptam fingi inter annos 347 et 343 censet.

annum 347, quo mortuus est Plato, scriptam esse fingi; sin autem omnia haec peccata Speusippo adiudicamus, longius habemus intervallum epistulae quo tempore scripta ficta sit determinandae, quod Speusippus mortuus est demum a. 339.

Unde missae sint litterae, non dicitur, sed accipere possumus epistulae auctorem cogitasse de Syracusanorum urbe, ut epistulam hanc compositam esse fingi eo tempore, quo Dionysius II iterum Syracusis versatus atque priusquam in perpetuum expulsus est (a. 346), probabile videatur. Ad hoc Speusippus illo tempore Academiae principatum obtinuisse videtur; equidem sentio quae enumerantur vitia, non ad Speusippum solum, sed etiam ad Platonem[1]), quem secutus est ille in exercendis praeceptis philosophicis, discipulosque eius, qui in Academia versabantur, referenda esse (cf. Epicratis fragmentum), ut non dubium sit, quin et Speusippus et schola Academica, cuius caput erat ille, simul atque una illudantur. Qua de causa epistulam 36 Socrat. ca. annos 347/6 conscriptam esse fingi opinor.

Postquam quibus nominibus epistulae inscriptae finguntur investigavimus, qua ratione inter se cohaereant simulque de auctore utriusque epistulae quaestiones faciamus. Nemo iam negabit epistulam 36 responsum dare antecedenti, quod elucet ex multis locis consimilibus partim repetitis partim oppositis, quos composuit Constantinus Ritter p. 387. Obstat autem, ut statuimus, quominus epistula 36 ab alio conscripta esse videatur auctore atque epistula 35, neque vero dicere possumus epistulam 36 solam sine dubio non veram esse, quia complectatur quae repugnent epistulae 35 verbis; facile enim

1) Fortasse verbis *Κέκροπος ᾧ σὺ οὐχ ὡς πατρὶ ὄντι ἐχαρίσω* (aoristi forma!) Plato iam mortuus habetur. Verba quae sequuntur *τολμᾶτε θεραπεύειν Ἑρμείᾳ* ad tempus propius determinandum nil valere videntur, cum Dionysius ironice mentionem faciat illius collectionis a Speusippo pro amico factae (cf. pag. 89); sed fieri potuit, ut epistolographus pluralem adhibens formam *τολμᾶτε* cogitavisset de Xenocrate et Aristotele apud Hermiam Atarneum commorantibus. Immo vero valde dubito, an epistulae auctor temporum ordinem servaverit.

evenire potuit, ut exstiterit epistula quaedam, cui epistula 36 accuratissime respondisset, cum epistulae 35, quae subsecuta est epistulam spuriam, varia verba inserta sint, quibus multi qui hodie exstant errores allati sunt. Quae cum ita sint, adducimur, ut auctorem epistulae 36 in manibus habuisse epistulam Dionysii ad Speusippum datam epistulae 35 similem, qua accurate temporum ordo servatus erat, suspicemur. At multa alia, quae arcessemus, epistulam 36 facilius etiam quam 35 commenticiam esse testari videntur. Sane quidem epistulae 36 auctori persuasum est epistula antecedenti Dionysium appellari — qua re etiam illustratur epistularum praescriptiones iam illa aetate servatas non fuisse —: multo vero alias res persequitur auctor huius epistulae: ignorans cui missa sit epistula, nonnulla autem ad Dionysium spectare (συγχαίρω Συρακουσίοις, ὅτι πέπαυνται . .) existimans, argumentum deprompsit ex epistula Dionysii ad Speusippum scripta, ut Academia illusa atque Speusippo potissimum irriso epistulam componeret multo nobiliorem scientiis cognitu dignis et iocis plenam. Nimirum auctor epistulam 35 commenticiam ad usum suum convertit, qua in re haud pauca, quibus respondere vult, non sagaciter in epistulam 36 recepit[1]).

1) Conferas qua ratione nos certiores fecerit de Polyxeno, de Philistione, de Echecrate et Moeride, de quibus nil dicit, quia ut videtur non habuit, quod responsum daret.

Pluribus mihi liceat verbis referre, quo modo mentio facta sit Briarei et Geryonei. Mullachius FPhG III p. 98 ad hunc locum animadvertit: „Ceterum Speusippus Geryone vel potius Briareo, plures et manus et pedes habiturus esse fingitur propter avaritiam. Videntur enim avari multis et manibus et pedibus tam ad accipiendam quam ad quaerendam pecuniam quodammodo egere,“ quae vix comprobamus, vid. etiam Ritter p. 396. Atqui id, quod proferunt Suidas s. v. *Κυνοκέφαλος* et Themistius (or. XXII p. 298 A), ad Mullachii sententiam accedit; hoc autem loco auctor ipse (i. e. Speusippus) vix tam acerbe et inepte de se ipso iudicavisset, quo modo auctori epistulae 36 de Briareo, quem inseruit, cogitare licuit. Hoc loco potius ad philosophi morbum et auctoritatem Academiae augendam spectasse illa verba verisimile est, ut verbis quoque quae sequuntur Speusippus, qui articulari morbo

Omnia cetera, quae ep. 36 commemorantur, nihil aliud nisi adversarii cuiusdam obtrectationes offensionesque sunt, quarum epistula quae antecedit, mentionem omnino non fecerat.

Omnibus his causis quas adduxi commoveor, ut epistulae 36 auctorem in numero eorum habendum esse existimem, qui in rhetorum vel Peripateticorum exercitationibus conati sunt Academicorum studiis eisque, qui illis praeerant, quam plurimum obtrectare. Hinc apparet epistolographum Academicorum et doctrinam et praecepta atque instituta satis cognita habuisse.

Quibus rebus constitutis auctores epistularum quibus usi sint fontibus quique reperiantur loci similes apud alios scriptores veteres, perquirendum est. Comperimus e Plutarcho[1]) traditas esse epistulas cum Speusippi tum Platonis ad Dionem missas (vid. etiam Diog. L. IV 5), quibus uterque amicissimum suum familiarem adhortatur, ut caveat αὐθάδειαν et σεμνότητα; atque cum utraque epistula non modo Dionis mores atque indoles commemorentur, sed etiam alia, quae utraque epistula leguntur, magna ex parte ad verbum inter se consentiant, non dubito cum Rittero[2]) epistulam 4 Platonicam Speusippo adiudicare. Quam ob rem etiam adducor, ut utriusque epistulae auctorem (ut etiam Plutarchum) Speusippi ad Dionem epistulam non spuriam inspexisse putem.

---

coactus est curriculo in Academiam vehi, illuditur. — Geryoneus bono iure ep. 35 nominatur — forma eius erat triceps (Apollod. 2, 5, 10), Stesichorus eum vocat seximanum et decempedem (cf. Roscher, I. 2. 1630) — sed minus apte in ep. 36 ab epistolographo Briareus adiectus est ad ironiam augendam, qui cogitaverit de loco Platonis Euthydemi p. 299 C, ubi Briareus una cum Geryoneo comparatur cum milite permultis armis atque telis pugnante. Epist. 36 autem, cum sermo sit de manibus et pedibus Briarei, apud veteres scriptores nil aliud indicatur nisi eum in numero centimanuum fuisse, quibus quinquaginta erant capita, sed de pedibus etiam pluribus nulla verba legimus.

1) Moral. p. 70 A.

2) pag. 378.

Simul autem non negabo complures huius modi epistulas antiquis temporibus compositas fuisse.

Ut Platonis et Speusippi epistulae fuerunt, itaDionysium II nonnullas conscripsisse a vero non abhorret; atque bono iure accipere liceat epistulae 36 auctorem illa, quae ad Speusippum spectant, ex epistula quadam illius hausisse, ut philosopho hoc illuso in scholam Academicam inveheretur.

Epistulam 35 item veram non esse opinor. Verba quae initio leguntur quaeque postea adiecta esse videntur, loquuntur de duabus epistulis, quarum altera τῶν κατ' οἶκον εἰθισμένων, altera μᾶλλόν τι σεμνυνομένη dicitur. Ritter (vid. pag. 392) hanc esse quartam Platoni falso adiudicatam epistulam censuit, cum illa esset epistula Socratica. Hoc fieri non potest: Quia epistulae varios continent locos similes, non cogitandum est epistulas has a vero Speusippo conscriptas esse. An putet quisquam epistulae 4 a Speusippo traditae atque ad usum suum conversae ab epistulae Socraticae auctore verba prima addita esse? — Praeter hanc epistulam alia quoque, quae pertinent ad epistulam 35, cum commemorentur apud alios auctores, utramque epistulam, quam auctor hic etiam tunc cognovit, non servatam esse arbitror. Omnino notatu dignum est non pauca, quae epistulis his narrantur, sive de personis quibusdam sive de rebus, reperiri in epistulis Platonicis[1]). Jam explicavimus, quae exstet similitudo inter ep. 4 Plat. et ep. 35 Socraticam, ut utramque epistulam ad eundem

---

1) cf. etiam epp. 32 33 34 Socraticas, quosque locos consimiles composuit Rud. Hercher, Hermae t. IV (1870) p. 427 sq., praeterea ad ep. 35 verba *ἐπίστελλε δὲ καὶ εἴ που δεῖ ἐπιμελεῖσθαι . . . τὰ δὲ παρ' ἡμῖν ἔχει παραπλησίως ὥσπερ καὶ ὑμῶν ἐπιδημούντων* verba Platonis p. 321 A: *νῦν οὖν αὐτοί τε ἀγωνίζεσθε καὶ ἡμῖν εἴ του δεῖ ἐπιστέλλετε. τὰ δ' ἐνθάδε παραπλησίως ἔχει καθάπερ καὶ ὑμῶν παρόντων* et 321 B: *ἐνθυμοῦ δὲ καὶ ὅτι δοκεῖς τισὶν ἐνδεεστέρως τοῦ προσήκοντος θεραπευτικὸς εἶναι. μὴ οὖν λανθανέτω σε, ὅτι διὰ τοῦ ἀρέσκειν τοῖς ἀνθρώποις καὶ τὸ πράττειν ἐστίν, ἡ δ' αὐθάδεια ἐρημίᾳ ξύνοικος.* cf. etiam 320 D: *τὸ δὲ νῦν ὕπαρχον περὶ σὲ τοιοῦτόν ἐστιν, ὥστε τοὺς ἐξ ἁπάσης τῆς οἰκουμένης, εἰ καὶ νεανικώτερόν ἐστιν εἰπεῖν, εἰς ἕνα τόπον ἀποβλέπειν, καὶ ἐν τούτῳ μάλιστα πρὸς σέ.*

fontem respexisse vero proximum est. Sed etiam aliis in epistulis, imprimis in secunda illius collectionis, nonnulla nobis occurrunt, quae in epistulis Socraticis similia leguntur. — In epistula 2 Platonica et Philistionis et Polyxeni[1]) mentio fit, qui ipsi nominantur in epp. Socr. 35 et 36. Studiis doctis hodie scimus Polyxenum illum, qui epistulis Platoni adscriptis 2 et 13 alibique commemoratur, neminem alium esse nisi sophistam illum, qui auctor erat doctrinae eius, qua agebatur de τρίτῳ ἀνθρώπῳ[2]).

Epistulis Socraticis confirmatur Polyxenum, qui ut dicit Plato ep. II 310 C narravit Dionysio II Platonis familiarium opprobria in regem facta, quique apud Platonem morans commemoratur (ὅτι οὐ πέμψαιμί σοι), in Graecia fuisse; atque ex epistulae 36 verbis κέλευσον δέ μοι Πολύξενόν τε καὶ τοὺς ἑταίρους καὶ τὰ γραΐδια καὶ τοὺς νομεῖς γράψαι τὰς παρ' ὑμῖν συνουσίας haud dubium esse videtur, quin Polyxenus in Academia ipsa versatus sit, praesertim cum eum in Platonis doctrinam invectum esse notum sit; ex epistulae 35 verbis Πολύξενος ἐν τοῖς πορθμείοις[3]) illum iam antea in Graecia fuisse (Platone vivo) carpendum est.

---

1) Allatius et Orellius Polyxenum esse adfinem Hermocratis et Dionysii I generum, cuius mentio fit apud Diodorum Sic. XIII 96. XIV 62, existimarunt; de quo, postquam in Graeciam in exsilium eiectus est, nihil audimus. Item Hercher in Epistologr. graec. indice eum, qui Platonicis in epistulis citatur, cum Dionysio genero commutavit; de hoc nulla verba fecit.

2) Plura de eo invenies PWRE III p. 928 Natorp. — Omnia quae de eo scimus (his locis omissis) primus composuit Carolus Baeumker, Rhein. Mus. Neue Folge, XXXIV (1879), p. 64 sq. — Etiam Ritter (p. 393, adn. 84), qui primus ep. Socr. verba arcessivit, uberius de sophista disseruit.

3) Sic pro corrupto *πορθασίοις* (idem legi in cod. Vaticano) posuit Hercher. Puto etiam simile quoddam verbum supplendum esse ad verba *ἐν τοῖς ὄρεσι* et *ἐν ταῖς ὁδοῖς*, ut *πορθμεῖα* significent „Übergangsstation," vel naves ipsae, quibus traiectum sit. Ritter, p. 394 vertit: als einer, der viel auf Reisen ist.

Ex epistulis Socraticis liceat accuratius definire, Polyxenus qua consuetudine coniunctus fuerit cum Dionysio et schola Academica. Baeumker (l. c. p. 64 sq.) e loco Platonis II 314 D cognoscere vult Dionysium haudquaquam amicissime illum contigisse, cum Rittero contrarium persuasum sit. Atque vero iam ex epistulis Platonicis, ut mihi videtur, elucet Polyxenum apud Dionysium summa usum esse auctoritate. Accedit, quod Speusippus Polyxenum commemorans una cum feminis et pastoribus[1]), magni aestimasse non videtur: fortasse philosophus illi ut sophistae loquacitatem obicere vult neque mirum esse potest, quia, ut erat Platonis doctrinae adversarius, ita discipulis familiaribusque eius oppositus et inimicus fuit. In epistula 36 latet sine dubio cavillatio quaedam Dionysii: „Ich werde schon was Schönes hören, wenn Polyxenos und die Weiber erst von Euch da erzählen.“ An putemus hic ironiam deesse? Utraque igitur epistula affirmatur Polyxenum consuetudine usum esse non solum Dionysii, sed etiam Academicae scholae praeceptorum[2]). Similiter, quae epistulae Socraticae proferunt de Philistione[3]), medico Locrensi, cum eis quae epistulae Platonicae exhibent, conferamus.

1) An verba *Πολύξενον καὶ τοὺς ἑταίρους* etiam respondeant illis similibus ep. 5, ut legamus: *Πολύξενος ἐν τοῖς ἑταίροις καθήμενος*?

2) Quaeram, num quae rettulit Polyxenus de Platonis amicis malevolis, spectent ad verba ep. 35: *ὅτι διαλέγεται περὶ σοῦ τὰ παιδία . . . καὶ Πολύξενος ἐν τοῖς πορθμείοις*?

3) Quae nota sunt de hoc medico eiusque fragmenta composuit Max Wellmann, Frg. medic. graec. t. I. pgg. 67 sq. 109 sq., sed has epistulas omisit. — Philistionem natum esse Locris testes sunt Plutarchus quaest. conviv. VII 1 et Athenaeus III 115 D, tribuitur *τοῖς ἐκ τῆς Ἰταλίας ἰατροῖς* a Galeno X 6 et Rufo (ed. Ruelle 162). Num nomen eius legendum sit in fragmento quodam Herculanensi, ubi refertur de Socrate eiusque schola (cf. Rhein. Mus. LVII 1902, p. 296) ad verba *τὸν Λοκρόν* supplendum sit, quo loco Diels proposuit legendum *Τίμαιον*, ego quaeram. Callimachus, qui ut testatur Diog. L. VIII 86. 89 eum Siculum vocat, nulla alia causa adductus esse videtur nisi quod secutus est Philistio doctrinas medicorum Siculorum, quorum inter primos locum habuisse eum Galenus dicit.

In epistula 2 Platonica de Philistione haec[1]) legimus: Φιλιστίωνα δὲ, εἰ μὲν αὐτὸς χρῇ, σφόδρα χρῶ, εἰ δὲ οἷόν τε, Σπευσίππῳ χρῆσον καὶ ἀπόπεμψον· δεῖται δὲ σοῦ καὶ Σπεύσιππος· ὑπέσχετο δέ μοι καὶ Φιλιστίων, εἰ σὺ ἀφείης αὐτὸν, ἥξειν προθύμως Ἀθήναζε[2]), cum epistula 35 Socr. dicatur: τόν τε γὰρ Φιλιστίωνα ἀποπέμψετε καὶ ἄλλον ὅντινα τρόπον δύνατόν ἐστι τὴν δύναμίν μου αὐξήσετε. Ritter, ut antea iam Passovius (Hdwb. d. griech. Spr.) verterat „laß ihm", ostendit (p. 371) epistulae Platonicae verba a prioribus atque ut videtur etiam a Wellmanno falso declarata esse, ut Speusippus Syracusis versatus esset eo tempore, quo Athenis fuit. Cuius rei testis est epistula Socratica, quae philosophum inducit Athenis litteras dantem Syracusas. Ex utraque epistula quoque suspicari possumus Philistionem Dionysii custodem salutis fuisse et magnam partem vitae in Syracusanorum urbe degisse.

Verisimillimum est, ut mihi videtur, utrumque auctorem ex eodem fonte hausisse; nam utraque epistula Speusippum uti medico declaratur; sed cum auctor epistulae Socraticae Speusippus fictus sit, qui Dionem ut mittat Philistionem rogat, in epistula 2 Platonica Plato Dionysium idem orat adiciens verba: δεῖται δέ σου καὶ Σπεύσιππος, unde elucere videtur eum epistulam novisse, qua Speusippus haec verba fecisset, ut illa tantummodo vera epistula ad verba δεῖται ... adduci potuerit[4]). Immo vero audax est, cum epistula 2 Platonica item non vera existimanda sit, alterum ex altero hausisse statuere.

Sed utut res se habet, ex epistula Socratica concludere licet Speusippum quoque Philistionis amicitia usum esse, qui Athenis versabatur in Academia, quod iam epistula Plato-

1) p. 314 D.

2) E verbis *ὑπέσχετο δέ μοι καὶ Φ.* elucet medicum iam ante familiariter vixisse cum Platone.

3) Epistulam 35 ad Dionem datam esse affirmantibus Philistionem etiam Dionysio pulso Syracusis remansisse nobis persuadetur.

4) Ceterum hac re — miror, quod nemo adhuc commemoravit — Speusippum auctorem esse epistulae spuriae demonstrari potest.

nica notatum videbatur. Simul atque una ex huius clarissimi medici commemoratione intellegimus antiquis temporibus eum maxima fuisse auctoritate et in schola Academica — quantum valuerit ad Platonis Timaeum vid. Wellmann, l. c., p. 69) — non ignotum fuisse. Quando in Atheniensium urbe versatus sit Philistio[1]), difficile erit determinare, etiamsi ex omnibus apertum esse videtur illum post Dionysium pulsum Dionis expeditione, ut ep. 35 Socr. dicit, iam incohata Athenas venisse, sed verisimile est medicum iam ante in urbe Atheniensium cum Platone consuetudinem egisse.

Praeterea in epistula 3 Platonica narrantur nonnulla, quae similia habemus in epistulis Socraticis. Nam non modo de salutationum formulis disserit epistula 3 Plat. (cf. verba p. 315 A B, quibuscum compares quae dicit scriptor epistulae 36 Socr. primis verbis), sed etiam de donis a Dionysio Delphos missis atque Apolline ut Dionysii adversis auribus accepto patre verba leguntur. Nam ut iam Ritter (p. 388) recte observavit, verba ἀναγράψαι τὰ εἰς Δελφοὺς πεμφθέντα τὰ σοφὰ, ἐφ' οἷς ἔοικεν ὁ 'Απόλλων οὐχ ὡς πατὴρ διατεθῆναι ἀκούσας καὶ τὸ ἁμάξιον ἰδὼν τὸ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ περιτρέχον αὐτόματον ad Platonis epistulam tertiam spectant (315 B), qua commemorantur dona tyranni, in quorum numero certo fuerit illud ἁμάξιον αὐτόματον[2]), quam rem non neglegendam esse affirmo; illud quoque Dionysium minorem appellatum esse illustrare videtur; tametsi de Dionysii I donis atque carminibus illusis et curribus fractis certiores nos facit Diodorus (XIV 109. XV 7, cf. A. Schaefer, Philol. XVIII, p. 187), tamen constat hoc loco Dionysium minorem vocatum esse, quem Apollinis filium[3]) se nominasse testatur Plato ep. 3 p. 315 B,

1) Duos alios locos Wellmann adiecit, quibus Philistionem Athenis fuisse ostenditur: Dioclem Carystium qui illa in urbe floruit, secutum esse eius doctrinam; medicum Siculum, qui appellatur in fragmento quodam Epicratis comici (apud Athenaeum II 59 E) ἰατρός τις Σικελᾶς ἀπὸ γᾶς hunc esse Philistionem.

2) cf. etiam Ritter, p. 388.

3) Hanc appellationem Dionysium debuisse amicis, qui ei blandiebantur, censet Bened. Niese (PWRE V 1. 905 sq.).

ubi legimus: σὺ μὲν γὰρ δὴ καὶ τὸν θεόν, ὡς ἤγγειλαν οἱ τότε θεωροῦντες, προσεῖπες ἐν Δελφοῖς αὐτῷ τούτῳ θωπεύσας τῷ ῥήματι, καὶ γέγραφας, ὥς φασί,

χαῖρε καὶ ἡδόμενον βίοτον διάσωζε τυράννου.

De eadem ıe ıefeıt Plato ep. 13 p. 361 A[1]).

In epistulis Platoni tributis Echecratis[2]) quoque et Hermiae[3]) mentio fit, sed quae audimus de his viris, ad locos hos (epist. Socrat.) nil valent.

Ex omnibus quae contuli inter epistulas 35 et 36 Socraticas atque illas, quae Platoni adscribuntur, similitudinem quandam fuisse in promptu atque perspicuum est.

Praeterea etiam, quod ad cetera, quae epistulis his leguntur, attinet, scriptores bonis fontibus usi esse videntur, ut utraque epistula varia, quae ad homines quosdam vel rationes pertinent, servata sint, quae adhuc minime vel omnino non nota fuerint.

In epistula 35 sermo est de κακοζηλίᾳ Dionysii, cuius exemplaria aliis aucta afferuntur apud Athenaeum aliosque[4]). Dieterich (PWRE V. 1. 882sq. s. Dionysius I) omnia haec

1) Alius testis est Plutarchus Moral. 338 A: Διονύσιος δὲ [ὁ νεώτερος] Ἀπόλλωνος υἱὸν ἑαυτὸν ὠνόμασεν ἐπιγράψας,

Δώριδος ἐκ μητρὸς Φοίβου κοινώμασι βλαστών.

2) vid. ep. 9 p. 358 B.

3) ep. 6 Plat. praescripta est: Πλάτων Ἑρμείᾳ καὶ Ἐράστῳ καὶ Κορίσκῳ εὖ πράττειν.

4) Exempla huius κακοζηλίας (germanice Wortverdrehung, cf. Quintil. instit. orat. VIII 3) non modo Dionysio addicuntur, sed aliis quoque, Euphorioni, Alexarcho, Nicandro, Choerilo (cf. Orellium, p. 283 sq. Lobeck, Aglaophamos II p. 856). Nonnulla eorum, quae affert ep. 35 auctor, testatur Athenaeus III 98 D, qui usus est Athanis libro, qui erat de rebus gestis Siculorum (ἐν πρώτῳ Σικελικῶν). De Athanis vita et fragmentis vid. FHG II 81—83, PWRE s. Athanis 2 (Ed. Schwartz), Plut. vit. Timol. c. 23. 37. Scripsit historiam rerum gestarum Siculorum libros XIII complectentem, quorum in primo postremi quinque anni, priusquam Dionysius II pulsus est, ad Philisti opus supplendum tractabantur (sunt anni 363/2—358/7). Erat igitur Athanis scriptor suae aetatis.

verba, quae in tragoediis a Dionysio I conscriptis inventa esse Helladius refert, comoediae addixit, neque vero ut mihi videtur, bono iure. Tametsi nullum exemplum eorum, quae ep. 35 praebet, apud Helladium reperitur[1]), tamen fieri potuit, ut reliqua quae exstabant exempla comprehenderentur verbis καὶ τὰ πολλὰ τοιαῦτα καταγέλαστα. Attamen non dici potest eius modi verba solum versibus inclusa fuisse; sed Dionysius verbis item talia fingere potuit, quae Athanis aliique, qui Syracusis commorati sunt, facile exceperunt. Nimirum eadem iam aetate vel postea huius modi quaedam afficta esse, praecipue in versibus comicis, negari non oportet. Forsitan epistolographus commotus sit ut verba faceret de Dionysii κακοζηλίᾳ, quod in Platonis (vel Speusippi) libris (an carminibus?) nunc perditis exemplaria huius modi invenerat. Platonem enim talia nova verba finxisse — haec debeo magistro meo Hermanno Schoene — testatur Aristoteles Topic. ed. Bekker p. 140 A 3—5, ubi legimus: ἔτι εἰ μὴ κειμένοις ὀνόμασι χρῆται, οἷον Πλάτων ὀφρυόσκον τὸν ὀφθαλμόν, ἢ τὸ φαλάγγιον σηψιδακές, ἢ τὸν μυελὸν ὀστεογενές· πᾶν γὰρ ἀσαφὲς τὸ μὴ εἰωθός, quae notiones nullo alio loco reperiuntur.

Altera est quaestio, utri adiudicemus hanc malam verborum interpretationem, Dionysio I an II? Si Helladio credere liceat, certo Dionysio I addicenda est, quae res ad omnia, quae scimus de eo eiusque litterarum studiis, maxime apta est. At iam Eduardus Meyer[2]) Dionysium II auctorem esse existimavit, qua re adductus est Ritter, ut quaerat attonite[3]): „Mit welchem Recht bezieht Ed. Meyer die Nachrichten über solche Worterfindungen auf D. II?“ Meo arbitratu duae res hunc Dionysium intellegendum esse testari videntur[4]): primum traditum est Athanim, qui Dionysii I

1) In libris manuscriptis non legitur *καὶ βαλλάντια τὰ ἀκόντια*, quod Hercher praebet, sed *καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἡδέα τὰ κομψὰ ταῦτα.*

2) Gesch. d. Altertums, V 511 A.

3) p. 389 adn.

4) Athenaeus, qui Athanim auctorem arcessivit, quaestionem hanc non tetigit: Ut iam antiquis temporibus de Dionysio nemo sciebat,

imperium omnino non tractaverat — cf. quae adnotavimus p. 100 — nova Dionysii verba commemoravisse. Praeterea in epistula 36 Socr. Dionysius II — Dionysii maioris consuetudine Speusippus nunquam, ut videtur, usus erat — de se ipso dicit: καὶ τἄλλα, ὅσα ἐπὶ τῷ γαρότᾳ, περὶ οὗ σὺ εὐμαρῶς ἅτε σοφὸς ὢν ἐξηπατήθης ὡς ἔγωγε ὠνόμασα. Hinc apparet nos aut Dionysio II adiudicare haec nova verba aut concedere etiam hoc loco alterum Dionysium pro altero vocatum esse.

Novum exemplar praebet epistolographus admiscens verba καρποτόκον τὸν μῆνα, ὅτι καρπὸς ἐν αὐτῷ γίνεται. Cum apud omnes scriptores, qui huius modi exempla afferunt, hoc non legatur, opinari licet epistolographum vel inspexisse fontem proprium, quippe ad duo alia quae commemorat magis nota nulla verba addiderit, vel stulte hoc excogitavisse[1]).

Cetera, quae in epistula 35 de Dionysio narrantur, ad Dionysium minorem optime spectare iam explicavimus, qui puer et iuvenis delicias habuit in conficiendis operibus mechanicis[2]), ut etiam in dimittendo ἁμαξίῳ αὐτομάτῳ περιτρέχοντι. Verba, quae sequuntur, — Ritter (p. 390) ante θεοφιλήτους legendum proposuit ἐπηβόλους γενομένους — itidem ab epistolographo per ludibrium adhibita esse videntur. Si postea Echecratis mentio fit, etiam eum, cuius nomen non recte servatum esse videtur, in numero amicorum Platonis habendum fuisse censeo[3]).

uter appellatus esset, ita utriusque Dionysii commutatio in omne tempus permanebit.

1) vide etiam Obens, p. 42.

2) Plut. vit. Dion. c. 9: *ὁ πατὴρ ἐφρούρει ⟨αὐτὸν⟩ κατάκλειστον οἴκοι δι' ἐρημίαν ὁμιλίας ἑτέρας καὶ ἀπειρίᾳ πραγμάτων, ὥς φασιν, ἁμάξια καὶ λυχνίας καὶ δίφρους ξυλίνους καὶ τραπέζας τεκταινόμενον.* Etiam quae de dono Tarentum misso tradunt Athenaeus XV 700 D et Plato ep. 7 399 D, quadrant ad hanc rem.

3) Manuscripta praebent (etiam codex Vaticanus 64): *ἀπόπεμψον μοι μίαν μοίριδος καὶ Ἐχεκράτους πυθόμενος τὰς περὶ* (*παρὰ Διονυσίῳ* Hercher) *Διονυσίου συνουσίας.* De Moeride quodam, qui hac aetate fuerit, nil constat, nisi de eo loquitur Hyginus (fab. 257), qui Moerum et Selinuntium amicissimos illos significaverit, quos bene valere apud tyrannum,

Perinde epistulae Socr. 36 auctor praeter epistulas, quas inspexit, optimis usus est fontibus, praesertim cum multum versatus sit in litterarum studio cum Academicae tum maxime Speusippi doctrinae et librorum, quos conscripsit ille; plurima, quae afferuntur, nobis plane nova praebent, ut varia, de quibus alia non calat memoria, in tenebris iaceant. Praemittendum est epistolographum haud pauca e scriptis Speusippi, quae hodie perdita sunt, tradidisse neque nos habere, quod illum spuria vel ficta quaedam arcessisse putemus.

Ritter (p. 384) iudicat quae dixerit epistolographus de boni illusionibus[1]) pertinere ad Platonis recensiones de bono habitas, quae comoediae iocis illusae sint. Jam dubito an recte interpretatus sit Ritter verba συνήδομαι δὲ τοῖς Ἀθηναίοις, εἰ μὴ ἀνάγκη αὐτοῖς ἔσται ...., quae vertit: „den die Athener zu ihrem Glück nicht mehr nötig haben, als σοφός gelten zu lassen." At hoc in verbis latet? Minime vero, ut mihi videtur, quod auctor usus est futuro tempore εἰ μὴ ἔσται. Forsitan de Platone vivo cogitare liceat, si Platonem esse eum, qui peccavit, accipere volumus; si autem Speusippum, confidenter Platonem iam mortuum esse existimemus. Hae illusiones ad quem referendae sint, in dubio ponitur; mea

---

cuius inimici fuerunt, postea ironice notaretur; cf. Orelli, p. 285 sq. Ritter, p. 391. — Accedit, quod neque ambo (Moeris et Echecrates) ullo loco commemorantur neque textus recte servatus videtur. Quod bis legimus *μοι* (*μοι μίαν μοιρίδος*), hic mendum latere puto neque de duobus viris, sed de Echecrate solo sermonem habuisse epistulae auctorem probabile est, cum verba quae sequuntur magis ad consuetudinem quam ad eos ipsos referenda sint.

Quis intellegendus sit Echecrates, dubium non est: Plato in eo libro, quem inscripsit *Φαῖδρος*, Echecratem inducit de postremis Socratis diebus loquentem. Est igitur ille Platonis amicus et Archytae, quem maxime secutus est ille in Pythagoreorum doctrina percipienda, cf. Diog. L. VIII 24. 46. — Quin etiam Cicero de finibus bon. et mal. V 87 et Valerius Maximus VIII, 7, 3 Platonem Echecratem Locris adisse testantur.

1) Sic explicat Stephanus in Thesauro Gr. L. vocabulum *φεναχισμός* = *φενάχισμα*.

quidem sententia omnes obtrectationes in scholam Academicam omnino factae sunt, in Platonem, qui condidit, discipulos, qui magistri doctrinam secuti sunt, in Speusippum, qui illi successit in Academia regenda. Praeter hoc non habemus, quod infitiemur Speusippum his irrisionibus impugnatum esse, quippe verbis μηδὲ τὸ ἀμάξιον θεωρεῖν, ἐφ' ᾧ σὺ ἐκπορεύῃ neminem alium nisi hunc appellatum esse satis constet[1]). Afferam primo locum Simplicii in Aristot. Phys.[2]), qui Speusippum imitatum esse Platonem in bonis diiudicandis docet: Λάβοι δὲ ἄν τις καὶ παρὰ Σπευσίππου καὶ παρὰ Ξενοκράτους καὶ τῶν ἄλλων, οἳ παρεγένοντο ἐν τῇ περὶ τ' ἀγαθοῦ Πλάτωνος ἀκροάσει. πάντες γὰρ συνέγραψαν καὶ διεσώσαντο τὴν δόξαν αὐτοῦ καὶ ταύταις αὐτὸν ἀρχαῖς χρῆσθαι λέγουσι. Tum inspiciamus collectionem reliquiarum Speusippi[3]), quibus hanc sententiam satis confirmatam videbimus. Compono, quae constant de Speusippi de bono dictis.

p. 81 Lang frg. 58 c. Cic. de legibus I, 13, 37 Vahlen: Ethica: de beatitudine, bonis, virtute[4]).

p. 69 Lang: De uno et bono, vide Zeller, p. 999, 2. frg. 35a. cf. frg. 38 Lang.

p. 68 Lang fr. 34a—d. De bono, vide Zeller, p. 999,1. — Hinc apparet in Speusippi sententiis philosophicis varia reperienda fuisse, quae adversarii calumniarentur atque in deterius traherent.

Sane autem priorem sententiam ad Platonem potissimum spectare non negamus. Jacobus Bernays[5]), qui rettulit

---

1) Ritter dicit p. 384: „Auch für ihn, der das Erbe Platons in der Akademie übernahm, standen Untersuchungen über das ἀγαθόν gewiß im Mittelpunkt."

2) I. 4. 187a12 p. 151,6 Diels.

3) Paulus Lang, de Speusippi Academici scriptis. Accedunt fragmenta. Bonnae 1911.

4) Ed. Zeller, Phil. d. Griech. IIa[4], p. 1009, 2. 3.

5) Hermes VIII (1874), p. 223sq.

verba τὸν σοφιστὴν σοφὸν καλεῖν (pro σοφόν, quod habent manuscripta complura, σοῦον posuit) ad Cratyli locum quendam (p. 412 B), quo dicitur: Λακωνικῷ δὲ ἀνδρὶ τῶν εὐδοκίμων καὶ ὄνομα ἦν Σοῦς· τὴν γὰρ ταχεῖαν ὁρμὴν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοῦτο καλοῦσι. ταύτης οὖν τῆς φορᾶς ἐπαφὴν σημαίνει ἡ σοφία ... iudicat „es solle hier rekriminiert werden gegen die Stelle des 35. Briefes, wo der Adressat wegen seiner κακοζηλία in Bildung neuer Wörter verhöhnt wird." Lectio σοφιστήν conferenda mihi videtur cum Platonis dialogi, qui inscribitur Πρωταγόρας, loco p. 312 C, quo definit Plato σοφιστὴν . . . εἶναι τὸν τῶν σοφῶν ἐπιστήμονα (cf. etiam Astii Lexic. Platonic. II², p. 262)[1]). Facile quoque fieri potuit, ut haec verba ad universam illam dicendi rationem pertinerent, quae in Platonis Cratylo[2]) explicatur; an Speusippo adiudicare possimus haec verba, fortasse arti dialecticae eius, haud scimus, cf. autem Diog. L. IV. 1. Lang, frg. Ib. Sed ut auctor epistulae ut haec proferret commotus esse potest Speusippi verbis, quae cognovit e libro, quo agebatur de philosophia vel de lingua et arte dicendi (cf. Lang, p. 22: Ὅροι, scripta dialectica: de divisione nominum, p. 65 sq.), ita verba ὅπως μὴ ἐμπίπρῃς τὰς θύρας τῶν γειτόνων, quae ad hunc diem commentario egent, ad ethicam disputationem quandam spectare verisimile est, ut ipsa verba μηδὲ τοὺς θεοῖσιν ἐχθρούς, νεκροῖσι δὲ φίλους τιμᾶν et ἐπισκοπῶ τὸ θεῖον ὡς δίκαιον κακὸν ἐπράξατο (fortasse etiam ad librum, qui est „de divino" ?)[3]).

Restat, ut disseramus de verbis μηδὲ ὅτι δένδρα μὲν ἄπαντά ἐστιν, ἕτερον δὲ συκῆ καὶ μυρρίνη καὶ δάφνη, ἐφ' οἷς μέγα φρονοῦσιν οἱ τρισάθλιοι, qua re evidenter ostenditur Academiae studium illudi atque irrideri. Eadem enim trac-

---

1) Voces *σοφιστής* et *σοφός*, qua ratione inter se differant, cf. Lucian. Hipp. c. 2. Diog. L. prooem. c. 12.

2) In hoc dialogo inveniuntur vocum origines, ut *θεὸς ἀπὸ τοῦ θεῖν*, *ἥλιος* dor. *ἅλιος ἀπὸ τοῦ ἁλίζειν*; cf. H. Steintal, Gesch. d. Sprachwissensch. I², p. 41. 79 sq. Berl. 1890.

3) cf. etiam Ritter, pag. 385.

tantur, quae servata sunt e fragmento Epicratis comici[1]) apud Athenaeum II 59 d—f, ubi legitur (Frg. Comic. Attic. 287 Kock): περὶ γὰρ φύσεως ἀφοριζόμενοι διεχώριζον ζώων τε βίον δένδρων τε φύσιν λαχάνων τε γένη et λάχανόν τις ἔφη στρογγύλον εἶναι ποίαν δ' ἄλλος, δένδρον δ' ἕτερος. ταῦτα δ' ἀκούων ἰατρός τις Σικελᾶς ἀπὸ γᾶς κατέπαρδ' αὐτῶν ὡς ληρούντων. Hoc fragmento illustrantur Academicorum studia, quae ad sata, plantas, bestias pertinebant, quaeque tractata sunt Platone, Speusippo, Menexeno in Academia versantibus. Ex ea re quod Rudolphus Hercher (Hermae t. VIII (1874), p. 224) demonstravit in verbis epistulae 36 Socraticae latere duo versus trimetros

ἕτερον δὲ συκῇ καὶ δάφνῃ καὶ μυρρίνῃ,
ἐφ' οἷς φρονοῦσιν οἱ τρισάθλιοι μέγα

apparere videtur epistolographum usum esse comoediae verbis. Sed similiter atque antea hoc quoque ad locos certorum librorum quosdam Academicorum magistrorum reiciamus. Casu accidit, ut eorum quae in Epicratis versibus comicis proferuntur, varia Speusippi fragmenta servata sint, quae collata invenies apud Paulum Lang, l. c., p. 5 sq. 37 sq., imprimis in eo libro, qui inscribitur Ὅμοια, ut arbitrari possimus ea verba quae affert epistolographus, in Ὁμοίων libro reperienda fuisse, sed etiam in eis libris, quorum tituli erant Ὅροι et Διαιρέσεις καὶ πρὸς τὰ ὅμοια ὑποθέσεις, quibus similia continentur, ea locum habuisse negari non potest (cf. frg. 32 et Lang, p. 21).

Num verba τὴν τῶν σατύρων σοφίαν, ἥν πρός ἐμέ ποτε συμπίνων ἐν Ἰταλίᾳ ἐπηγγέλλου[2]) ad librum quendam Speusippi spectent, discernere non possumus neque alio teste confirmatur in verbo συμπίνων veri aliquid latere[3]).

1) cf. P. Lang, p. 19 sq.

2) Fortasse illa verba spectant ad συμπόσιον quoddam, Speusippo adiudicatum a Plutarcho p. 612 D, qui refert eum dialogos conscripsisse „πρὸς πότον γενομένους" (frg. 64 Lang).

3) Speusippum in Italia commoratum esse memoriae non traditur; cuius in Siculam terram cum referatur peregrinatio, qua (a. 360) Platoni comitem se addiderat, eum quoque in Italia fuisse suspicio est. Itidem

Dictum vel apopthegma illud[1]), quod attulit auctor epistulae extrema parte, non pessimo fonti debere videtur. Ultima denique verba ἐὰν δὲ τὰ ἄλλα σωφρονήσῃς, κἀγώ σοι

non constat, num Speusippus compluries in Siciliam peregrinatus sit; de hac re cf. M. A. Fischer, De Speusippi vita, p. 23. Zeller, Phil. d. Griech. IIa⁴ p. 987 adn. Immo vero Dionysium et Speusippum in Italiam simul profectos esse non verisimillimum videtur.

1) Hoc inseruit auctor, ut Jonas (et Athenienses), qui ab ephoris Lacedaemoniorum traducuntur, illuderet. Similem narrationem apud scriptores posteriores inveniri iam Allatius observaverat: legimus apud Plutarchum (Moral. p. 232 F ἀποφθέγμ. Λακων. ἄδοξ. 13): Χίων ποτὲ κατ' ἐπιδημίαν ἀπὸ δείπνου ἐμεσάντων ἐν τῷ ἐφορείῳ, καὶ χεσάντων ἐπὶ τῶν δίφρων, ἔνθα οἱ ἔφοροι ἐκάθηντο, τὸ μὲν πρῶτον ἰσχυρῶς ἀνεζήτουν τοὺς ποιήσαντας, μὴ πολῖται τυγχάνωσιν· ὡς δ' ᾔσθοντο, ὅτι Χῖοι ἦσαν, ἐκήρυξαν, Τοῖς Χίοις ἐφιᾶσιν ἀσελγαίνειν. Apud Aelianum (var. hist. 2,15) eadem res refertur de Clazomeniis, cum auctor epistulae Socraticae ad id, quod sibi proposuerat, simpliciter Jonas quosdam fuisse, qui peccavissent, narret.

Ritter p. 384 iudicans: „Die Erzählungen ermöglichen jedoch kein volles Verständnis des hier vorliegenden Satzes und geben auch keine Korrektur an die Hand“ lectiones a Bernaysio emendatas (Hercher, Herm. VIII, 1874, p. 223) non novisse videtur: textus emendatus est hic: φοβεῖσθαι οὖν σφόδρα τοὺς ἁλόντας, ἐπεὶ ἧγοντο εἰς ἀγοράν, τοὺς δὲ Λακεδαιμονίους ἀνακηρῦξαι ὡδίπως κέλονται τοὶ ἔφοροι καὶ τοὺς Κλαζομενίους ἔτι πονηροτέρους ἦμεν . . . Quae res ut sit, textum recte servatum alias etiam lectiones praebuisse mihi persuadetur.

Verba quae antecedunt melioribus egent manuscriptis. Patet opprobria, quo propius ad finem verborum accedit epistolographus, eo maioribus ironiae partibus adfici (ἵνα μὴ χραίνοις τὰ ἱερεῖα — sane hoc spectat ad Speusippi φιλαργυρίαν — παναπόπληκτος ἐγένου ονοσοντε επϊ κδταιαίων haec legi in codice Vaticano, de quo plura invenies pag. 108 sq. (cf. ceteras lectiones easdemque valde corruptas apud Orellium p. 287 et Hercherum, Epistologr. graec., praefat. p. LXXI. Allatius legit νόσοντε . . ., ὄνοσον τε ἐπιδεικταιαίων). Etiamsi mihi non contigit lacunam explere, tamen mihi proponere liceat legere παναπόπληκτος ἐγένου ὄνος ὄντε ἐπι . . ., quae vox de asino optime cogitari potest. Ceteroquin vocabulum παναπόπληκτος ad Speusippi morbum spectare posse nemo adhuc observavit: fieri potest, ut illa vox hic significet: völlig gelähmt am Körper (cf. Herodot. I 167. Diog. L. IV 3), cum notio ἄφρων (Herod. II 173) ad verbum ὄνος item quadret.

συσσωφρονήσω ad proverbium referenda esse videntur, quod occurrit in versibus notissimis his[1]):

σύν μοι πῖνε, συνήβα, συνέρα, συστεφανηφόρει,
σύν μοι μαινομένῳ μαίνεο, σὺν σώφρονι σωφρόνει.

Appendix.

Appendicis loco afferam nonnullarum epistularum (29. 30. 31. 35. 36) lectiones quibus differat codex Vaticanus graec. 64 (saec. XIII) — de quo infra dicam — ab editione Hercheriana.

Antea autem de codicibus manuscriptis quibus servatae sunt Socratis et Socraticorum epistulae verba praemittere liceat. Orellius praeter Allatii editionem quasi manuscriptum tantummodo codicem quondam Helmstadiensem nunc Gottingensem, Hercher in Epistolographorum graecorum collectione Parisinum 3054 (P) et gemellum codicem Guelferbytanum (G) ad textum emendandum adhibuit[2]). Tamen plurima pessime nobis servata sunt, ut variarum epistularum (imprimis epp. 14. 29. 35. 36) lectiones hodie obscuratae nobis occurrant; quin etiam epistulae 37 argumentum adhuc omnino non patet. Hermanno Schoene intercedente ad usum meum benigne commendavit Hugo Rabe codicem Vaticanum graec. 64, qui nonnullas quidem alias lectiones praebet, sed ut ceterorum aliquot codicum nullas praescriptiones habet eademque menda continet[3]). Verbosius de hoc codice disseruit Hermannus Usener[4]). Imaginem phototypice depictam variarum epistularum (15. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37) ex bibliotheca Vaticana Romana missam inspexi.

1) Orelli, pag. 287.

2) vid. Herch. praef. p. LVII.

3) cf. ep. 30 paragr. 8 Herch. τὰς δύο Φωκέων ψήφους. ὧν . . . ., ubi in libris manuscriptis legitur: τὰς δὲ Φωκέων ψήφους, ὧν.

4) Jahns Jahrb. f. Phil. u. Pädag. 1. Abt. 1873, t. 107, p. 164 sq. Hoc codice praeter epistulas Socratis et Socraticorum (1—20. 24. 27—30. 35. 36. 32. 33. 37, f. 215 sq.) etiam epistulae, orationes, scripta Isocratis, Libanii, Joannis Pediasimi, Synesii, Aeschinis oratoris continentur.

ep. XXIX: ed. Herch. p. 628, lin. 34 δϊατελεα Vat. διὰ τέλους Herch. || 38 πειρόμενος Vat., πειρώμενος Herch. || 39 ὑπὸ Διονυσίου Vat., ὑπὸ τοῦ Διονυσίου Herch. || 42 ὡς ἂν εἰ δυντοις ἀρκεῖται τίς ζῆν τῶν διάθεσιν φιλικήν Vat., ὡς ἂν εἰ..... ἀρκεῖταί τις ζῆν τῶν διάθεσιν φιλικήν Herch. || 44 περὶ ὧν δὲ καὶ ἔκρινάς τϊ τίνα ἕξεις τιμήν Vat., περὶ ὧν δὲ ἔκρινας τίνα ἕξεις τιμήν Herch. || 48 βιωτῆς Vat., βιοτῆς Herch. || 51 ῥᾷστα γὰρ οὕτως ἐξάγοις Vat., ῥᾷστα γὰρ ἂν οὕτως ἐξάγοις Herch. || p. 629, lin. 2 οὐ γὰρ δὴ τοσοῦτον ἐκεῖνοι σε ἀδικήσειεν Vat., οὐ γὰρ δὴ ἐκεῖνοι τοσοῦτόν σε ἀδικήσαιεν ἂν Herch. || 6 ἡμᾶς Vat., ὑμᾶς Herch. || 9 στῆσαι Vat., ποιῆσαι Herch. || 17 πλέον τῆς ἐκείνων φιλίας σεαυτὴν στέλλουσα Vat., πλέον διὰ τὴν ἐκείνων φιλίαν σεαυτὴν στέλλουσα Herch. || 18 κεῖθι τὸ σοβαρόν Vat., κεῖθι γὰρ τὸ σοβαρόν Herch. || 19 τϋροκλῆς Vat., Λαμπροκλῆς Herch. || 23 διὰ τὸ πολλὰ ἀνιᾶσθαι Vat., διὰ τὸ πολλάκις ἀνιᾶσθαι Herch. || 25 βουλομένης τῷ τῆς ὀνόματι Vat., βουλομένης ἐπὶ τῷ τῆς ὀνόματι Herch. || 26 ἀμίκαν Vat., Μίκαν Herch. || 27 ἐπισκοπ Vat., ἐπισκήπτω Herch. || 39 ἀστενάκτει Vat., μὴ ἀγανάκτει Herch.

ep. XXX: ed. Herch. p. 629, lin. 45 βοηθήσειας Vat., βοηθοίης Herch. || 47 Ἰσοκράτους τότε Vat., Ἰσοκράτους λόγου τότε Herch. || p. 630, lin. 3 ἀπέχηται Vat., ἀπέσχηται Herch. — χρή Vat., χρῆν Herch. || 6 φανερά Vat., φανεράν Herch. || 7 ποιεῖσθαι Vat., μυεῖσθαι Herch. || 13 συμφορὰς αὐτῶν Vat., om. αὐτῶν Herch. || 19 Ἀλέου Vat., Ἀλεύου Herch. || 23 ἐκ τοῦ ἄσιν πρόγονον ἢ τοὺς εὔνους δεῖν προσεῖναι τοὺς ἀκροατάς Vat., ἐκ τοῦ τῶν προγόνων ἐπαίνου εὔνους δεῖν ποιῆσαι τοὺς ἀκροατάς Herch. || 25 προσήκει Vat., προσῆκε Herch. — ἐν Πλαταιαῖς Vat., τὴν Πλαταιᾶσιν Herch. || 26 τὰς ἑξῆς τούτου τάς Vat., τὰς ἑξῆς τοσαύτας Herch. || 27 παρὰ σοῦ Vat., περὶ σοῦ Herch. || 31 τὸ δὲ εὐρυθαλῶς, ὡς φησιν αὐτὸς ἀνθοὺσ τῆς διανοίας Vat., τὸ δὲ εὐθαλῶς, ὥς φησιν αὐτός, ἀνθούσης τῆς διανοίας Herch. || 33 ὑπὸ λϋνθίων Vat., ὑπ' Ὀλυνθίων Herch. || 34 τίς γὰρ ἂν οὕτως εὐήθης νομήσειεν ὥστε σοι Vat., τίς γὰρ ἂν οὕτως εὐήθη σε νομίσειεν ὥστε σοι Herch. || 35 ἔτι τὲ Vat.,

ἔτι δὲ Herch. || 40 συμφέρει τὲ Vat., συμφέρει δὲ Herch. || 42 εὐαγγέλια Vat., εὐαγγελία Herch. — περὶ σοῦ Vat., παρὰ σοῦ Herch. || 53 'Αμφιπολίτην Vat., 'Αμφιπολῖτιν Herch. || p. 631, lin. 12 τῶ Σίθονος Vat., τῷ *Σιθῶνος* Herch. || 14 Λαδίκῃ καὶ Χαράττῃ Vat., Λαδίκῃ δὲ καὶ Χαράττῃ Herch. || 15 'Αμβρακικὴν χώραν Vat., τὴν 'Αμβρακικὴν χώραν Herch. — ἐγχειρήσειεν Vat., ἐγχειρίσειεν Herch. || 16 ὑπ' αὐτοῦ Vat., ἀπ' αὐτοῦ Herch. || 17 ὑπογείους Vat., ὑπογυίους Herch. || 19 προφάσεις Vat., πρόφασις Herch. — ψόγος Vat., ψόφος Herch. || 22 πῦθον Vat., μῦθον Herch. || 31 τὰς δὲ Φωκέων ψήφους Vat., τὰς δύο Φωκέων ψήφους Herch. || 36 μεμῦθηκε Vat., μεμύθευκε Herch. — τὰς δοὺκ Vat., τὰς δὲ οὐκ Herch. — δικαίως Vat., δικαίας Herch. || 38 παρακαλῶν Vat., προκαλῶν Herch. || 44 στάσιν εἰκηθείς Vat., στάσει νικηθείς Herch. || 47 βασιλέων Vat., βασιλεύων Herch. || 53 ἀλλοτρίως Vat., ἀλλοτρίοις Herch. || 54 πρὸς τῶν λόγων Vat., πρὸς τὸν λόγον Herch. || p. 632, lin. 2 γράφω Vat., γράφων Herch. || 5 τῶν μαθητῶν τοὺς ἐπιτιμῶντας οἱ δὲ χειρωθέντες τῶν αὐτω πλησιαζόντων ἀκμάζοντες τῆς ῥητορικῆς δυνάμει Vat., τῶν μαθητῶν τῶν αὐτῷ πλησιαζόντων τοὺς ἐπιτιμῶντας· οἱ δὲ χειρωθέντες τῆς ῥητορικῆς δυνάμει Herch. || 6 τῶ λόγω τῶν λόγων τουτω Vat., τῶν λόγων τῷ λόγῳ τούτῳ Herch. || 9 τοὺς ἀκούοντας ἀποικίλους Vat., τοῦ Βάττου ὄντας ἀποίκους Herch. || 15 Περδίκκου Vat., Περδίκκᾳ Herch. || 26 ἔγραφεν Vat., ἔγραψεν Herch. || 27 μικρὰ διασκευάσας Vat., μικρὰ δὲ διασκευάσας Herch. || 30 ἐπηκόντισεν Vat., ἀπηκόντισεν Herch. || 33 'Αμφιπόλεων Vat., 'Αμφιπόλεως Herch. || 35 ὕστερον αὐτω Vat., ὕστερον δὲ αὐτῷ Herch. || 36 ὁμολογεῖ Vat., ὁμολογῶν Herch. || 38 ἀναγνῶ Vat., ἀναγνούς Herch. || 40 καταστρατηγήσει Vat., καταστρατηγήσεις Herch. || 41 γράφειν Vat., γράφοντα Herch. — μοι Vat., με Herch. — βιβλίον, βιβλίων Vat., βυβλίον, βυβλίων Herch.

ep. XXXI ed. Herch. p. 632, lin. 48 κτήσασθαι· τῶν Vat., κτήσασθαι, **** τῶν Herch. || 49 ὅτι Vat., ὅσιον Herch. || 51 περὶ σε οὐ Vat., περὶ σοῦ Herch. || 52 ποιεῖν ποῖος τὲ ἔση Vat., σκοπεῖν ποῖός τις ἔσῃ Herch. || p. 633, lin. 4 γενόμενον Vat., γινόμενον Herch. || 6 ἀγωνίζεσθαι αὐτόν Vat., ἀγωνίζεσθαι ὡς

αὐτόν Herch. || 7 σοι ἁμιλλητέον Vat., om. σοι Herch. || 8 ὦ ἐκείνω Vat., ὃ ἐκείνῳ Herch. || 9 τὰς σὰς εὐεργεσίας Vat., σὰς om. Herch. || 10 γίνονται Vat., γίνωνται Herch.

ep. XXXV ed. Herch. p. 634a, lin. 33 τρόπω Vat., τρόπον Herch. || 34 ἀκαιρία Vat., ἀκαιρίαι Herch. || 35 ὅτε Vat., ὁτὲ Herch. — ἕκαστος Vat., ἅτερος Herch. || 36 ἀνιέμενος Vat., ἀνειμένος Herch. || 37 δὲ Vat., τέ Herch. || 38 Συρρακουσίοις Vat., Συρακουσίοις Herch. — πέπαυται Vat., πέπαυνται Herch. || 39 ἴαχον Vat., ἴακχον Herch. — ἀρῦαν Vat., γαρόταν Herch. — καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἡδέα κομψὰ ταῦτα Vat., καὶ βαλλάντια τὰ ἀκόντια Herch. || 43 τό τε ἄξιον Vat., τὸ ἀμάξιον Herch. || 49
β
ἀναθῆναι Vat., ἀνεθῆναι Herch. || p. 634b, lin. 34 τηρήσας
α
καιρόν Vat., καιρὸν τηρήσας Herch. || 36 ἐν τοῖς πορθασίοις Vat., ἐν τοῖς πορθμείοις Herch. || 38 ἀγαπητόν Vat., ἀγητόν Herch. || 39 δανοῖσϊ Vat., Δαναοῖσι Herch. — μετέασιν ἀριστῆες Vat., ἀριστῆες μετέασιν Herch. || 41 ἀκαδημίαν Vat., ἀκαδήμειαν Herch. || 42 σκέλη Vat., χεῖρες Herch. || μῖαν μοίρϊδος Vat., μίαν** Μοίριδος Herch. || 48 περὶ Διονυσίου Vat., παρὰ Διονυσίῳ Herch. || p. 635a, lin. 3 ἄλλοθεν ἢ Vat., ἢ om. Herch.

ep. XXXVI ed. Herch. p. 635a, lin. 10 βούλομαί σε μετὰ παιδείας Vat., βούλομαί σοι μετὰ παιδιᾶς Herch. || 13 τοῦ μὲν ἥδεσθαι Vat., τῷ μὲν ἥδεσθαι Herch. || 14 Λασθενῖα Vat., Λασθένεια Herch. || 16 ᾿Ομβριάρεω Vat., Βριάρεω Herch. || 17 τὰ ἄλλα Vat., τἄλλα Herch. || 19 ἐξαπατηθείς Vat., ἐξηπατήθης Herch. || 20 λεληθῆναι Vat., λέληθε Herch. || 25 ἐφ' οὗ Vat., ἐφ' ᾧ Herch. || 31 ἀδίκαιον Vat., δίκαιον Herch. || 33 τοὺς ἑτέρους Vat., τοὺς ἑταίρους Herch. || p. 635b, lin. 4 ονοσοντε ἐπϊκδταιαίων Vat., νόσωντε . . . . ἵνα Herch. || 8 καὶ ταῖς παραβολαῖς Vat., ταῖς om. Herch. || 14 τοὺς Λακεδαιμονίους Vat., τοὺς δὲ Λακεδαιμονίους Herch. — ἀνακηρῦξαι Vat., ἀνακηρῦξαι Herch. ||
σ
17 ἴσων Vat., ἴσον Herch. — σωφρονεῖσ Vat., σωφρονήσῃς Herch.

Vita.

Natus sum Otto Schering Lubecensis mensis Augusti die VI posterioris saeculi a. XC patre Joanne mercatore, matre Elisabeth e gente Thiel, quibus superstitibus valde gaudeo. Fidei adscriptus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus duos per annos progymnasium, septem per annos gymnasium patriae meae, quod Katharineum vocatur, moderantibus primum Joanne Schubring, deinde Christiano Reuter, frequentavi.

Vere anni huius saeculi VIII maturitatis testimonio instructus studiis philologicis (philologiae classicae et historiae) me dedidi. Per unum semestre Friburgi Brisg., per tria semestria Lipsiae versatus sum. Vere anni h. s. X Gryphiam transmigravi, ubi per quinquies senos menses civibus academicis adscriptus eram; proximum quoque per semestre licentia audiendi impetrata complures audivi praelectiones.

Docuerunt me viri doctissimi:

Friburgenses: Fabricius, Jolles, Reckendorf, Schmalz, B. Schmidt, Thurneysen.

Lipsienses: Barth, Bethe, Brandenburg, Brugmann, Gardthausen, R. Heinze, Köster, Lamprecht, Lipsius, Martini, Schreiber, Seeliger, Studniczka, Wilcken, Wundt.

Gryphienses: Bernheim, Heuckenkamp, Hosius, Mewaldt, Otto, Pernice, Rehmke, Schmekel, Schöne, Semrau, Zupitza.

Seminarii philologici ordini inferiori Lipsiae, medio ordini Lipsiae et Gryphiae interfui; deinde supremi ordinis sodalis per unum annum admissus Hosii Schoeniique disciplina usus sum. Per duo semestria Schoenius ad societatem Graecam comiter aditum mihi praebuit. Exercitationibus historicis et archaeologicis ut interessem benigne concesserunt Lamprecht, Wilcken, Schreiber, Studniczka Lipsienses, Bernheim, Otto, Pernice Gryphienses.

Omnibus his praeceptoribus gratiam habeo maximam, praecipue autem Hermanno Schoene, qui suscipiendae huius dissertationis auctor fuerit et in perficiendo opusculo omni tempore consilio me adiuverit.

Hanc dissertationem typis exscribendam me curante bellum exortum est. Initio demum huius anni, postquam in Poloniae finibus vulneratus missam feci militiam, ad opusculum imprimendum me contuli. Hac in re Hermanno Schoene ad militiam evocato Georgius Thiele, qui nuper mortem obiit, et Ernestus Lommatzsch operam suam deesse noluerunt, quibus gratiam debeo maximam.